[redacted]

[redacted]

DE

SOPHOCLEÆ DICTIONIS

PROPRIETATE

CUM

ÆSCHYLI EURIPIDISQUE

DICENDI GENERE COMPARATA

SCRIPSIT

LUDOVICUS BENLOEW

[illegible]

PARISIIS

APUD HACHETTE
BIBLIOPOLAM
[illegible]

APUD JOUBERT
BIBLIOPOLAM
[illegible]

1847

DE

SOPHOCLEÆ DICTIONIS

PROPRIETATE

CUM

ÆSCHYLI EURIPIDISQUE

DICENDI GENERE COMPARATA

E TYPIS CRAPELET
VIA DICTA DE VAUGIRARD, 9

DE

SOPHOCLEÆ DICTIONIS

PROPRIETATE

CUM

ÆSCHYLI EURIPIDISQUE

DICENDI GENERE COMPARATA

SCRIPSIT

LUDOVICUS BENLOEW

Οἷος ὁ τρόπος, τοιοῦτος καὶ ὁ λόγος.

PARISIIS

APUD HACHETTE
BIBLIOPOLAM
VIA DICTA PIERRE-SARRAZIN, 12

APUD JOUBERT
BIBLIOPOLAM
VIA DICTA DES GRÈS, 14

1847

INDEX.

APPENDIX.

ERRATA

DE LA THÈSE SUR L'ACCENTUATION.

Page 76, ligne 28, lisez : *barytonos* pour *barytone.*
92 27 *la thesis* pour *l'arsis.*
93 6 μετάδρομοι pour μετάδρομος.
137 20 ἐχῖνος pour ἐχίνος.
152 11 ὀκλάδις, ἄμυδις pour *αἰφνηδίς, ὀκλαδίς.*
199 3 *hắbēt* pour *hắbḗt.*
227, note, ligne 1, lisez : *naturale* pour *naturali.*
236, ligne 22, lisez : *l'enclavement le plus entortillé* pour *l'enclise la plus entortillée.*
266, à insérer après la neuvième ligne :

Ou : *Díes íræ, díes ílla*
Sólvet saécla ín favílla, etc.

278, ligne 21, lisez : *trimètre* pour *tétramètre.*

PRÆFATIO.

Quum, ut Germanorum quisque antiquitatis doctrina et laude critices maxime florebat, in discutiendis, quibus tragœdia græca involuta erat tenebris elaborasset, nuperrime autem in hac nostra Parisiensi Academia vir doctissimus unius libri compendio totam rem planissime patefecisset, et illustrasset clarissime, nihil mihi, quanquam diu multumque in ejuscemodi studiis versato, reliquum factum esse videbatur, nisi ad quæstiunculas quasdam obscuriores eruendas confugere vellem, quam aliquando de dicendi genere, quo sunt tragicorum principes usi, agere, ac si quid novi fabulæ eorum iterum iterumque perlectæ suppeditarent, id in lucem proferre. De hac re, quantumvis humili, tractare sic demum operæ pretium fore rebar, si non magis in grammaticorum tricis et quisquiliis indagandis, quam in verborum structura et ipsarum sententiarum conformatione exponenda studium navarem.

De Sophocleæ igitur dictionis proprietate scribere statui. Quod quam sit difficile, neminem fugiet, qui norit esse quemdam communem omni tragicæ poesi succum, ac tenuissima poetarum eodem linguæ, ætatis, artis, theatri consortio utentium discrimina. Accedit quod quum Sophoclis sit perfectissimum illud atticæ elegantiæ ingenium, id ipsum perfectionis est, non quæ ambitiosior cujuslibet ars seorsim fundit, sed

omnium mentibus inhærentem quamdam venusti speciem, in qua nulla fere peculiaris temperamenti, idiomatum ac veluti nævorum vestigia deprehendere possis, exhibere. Propterea in re tam ardua tamque a mentis obtutu immenso sæculorum intervallo remota, si quando mihi erratum fuerit, erroris veniam licebit exposcere.

DE

SOPHOCLEÆ DICTIONIS

PROPRIETATE

CUM

ÆSCHYLI EURIPIDISQUE

DICENDI GENERE COMPARATA.

CAPUT PRIMUM.

§ 1. DE SOPHOCLEÆ DICTIONIS ÆTATIBUS.

Habuit, ut pleraque omnia decursum quasi naturalem et ætates suas tragœdia, quæ, ut ne obscuriora nomina morer, ab Æschylo cœpta, a Sophocle perfecta, cum Euripide exstincta est. Quam si a rudibus initiis profectam excoluit Æschylus et in artis formam redegit, excultam autem atque ad summum fastigium evectam Euripides paullulum inclinavit, Sophocleam poesin in angusto nondum consummatæ ac mox vergentis artis confinio positam esse apparet. Verumtamen intra tam arctum temporis spatium deprehenduntur eæque haud leves dictionis Sophocleæ discrepantiæ, ut juvenis ad Æschyleum, senex ad Euripideum dicendi genus propius accessisse videatur. Ingenuæ autem ac sinceræ Sophocleæ artis notam quum omnes fabulæ, tum maxime adulta quadam ac vegeta maturitate compositæ præ se ferunt. De his dictionis Sophocleæ ætatibus ac quasi stadiis luculenta exstant veterum testi-

monia. Apud Æschylum tragœdias facere didicisse tradit Vita (παρ' Αἰσχύλῳ δὲ τὴν τραγῳδίαν ἔμαθε); mox autem præceptoris tumori illudens, tum detracto omni acerbiore atque artificiosiore, cui nimium ipse indulserat, verborum apparatu ad tertium, ut Plutarchus [1] censet, dicendi genus pervenisse fertur, quod ad hominum mores aptissimum esset depingendos (ἠθικώτατον). Ac certe primo statim tirocinio spectatam Æschyli gloriam videtur infregisse; cui viginti octo annos natus (Ol. LXXVII, 4) Triptolemo suo, ut Lessingius autumat, palmam, Cimonis sententia, eripuit. Sed ætate provectior, Euripidem, qui parabasin interdum choro inseruerat æmulatione quadam imitatus esse dicitur [2]. Extremæ quidem, quæ adhuc supersunt ejus fabulæ et æquabiliore orationis flumine, et colloquiorum ad forensium litium, quas maximopere adamabant tum temporis Athenienses, similitudinem exaratorum perpetuitate, et exiguitate partium melicarum produnt aliquatenus celebratam illam Euripidis rivalitatem [3].

Quum sic inter utrumque æmulum hæsitasse ac quasi fluctuasse videatur Sophoclis οἰκονομία et dicendi ratio, quod triumvirum nostrorum unicuique proprium est ac peculiare, primis tantum lineis adumbremus.

§ 2. DE DISCRIMINE QUOD INTER ÆSCHYLI, SOPHOCLIS, EURIPIDIS DICTIONEM INTERCEDIT.

1. De choro.

Ordiamur a choro, qui totius tragœdiæ est *prin-*

---

[1] Plutarchus, de Prof. in Virt., p. 79, 13. Müller, *Griech. Literaturgeschichte*, II, p. 115.

[2] Pollux, IV, 111.

[3] De qua re conferas ab Aristotele servatum Sophoclis de Euripidis characteribus judicium : Οἷον καὶ Σοφοκλῆς ἔφη, αὐτὸς μὲν οἵους δεῖ ποιεῖν, Εὐριπίδην δέ, οἷοί εἰσιν. (Poet., c. XXVI.)

cipium et fons[1]. Huic in plerisque fabulis suis ita primarias partes tribuisse videtur Æschylus, ut lyricas quasdam concertationes potius quam actionem vere dramaticam cernere putaveris. Quod maxime carminibus, quibus *commis* nomen est[2], sæpiuscule magnam fabulæ partem implentibus elucescit. E contrario apud Euripidem ita evanuit chori momentum, ut hic illic parum abfuerit, ut funditus eum sustulerit aut certe Agathonis carminibus, quæ ἐμϐόλιμα vocantur, assimilarit. Omnis poeseos nervus a choro non ad diverbium, ut debuit, sed ad cantica τὰ ἀπὸ σκηνῆς, vel monodias ab actore primarium partium cantatas translatus est. Quibus maxime operam dedit Euripides, ut civium auribus et moribus satisfaceret, haud amplius progressioni illi ac perpetuitati actionis, quæ in se ipsa nititur, assuefactis, sed qui affectuum perturbationibus, ac quibusdam mentis quasi incendiis delectarentur. Atque velut ab dithyrambo initium ceperat tragœdia, in dithyrambo etiam conquievisse videtur, quippe quum monodiæ, illa recentioris tragœdiæ lumina, sæpe sine antistropharum responsione (ἀπολελυμένως) proferantur. Apud Sophoclem chorus eum, quem debet, locum obtinet, ut nec causam rerum, quæ aguntur, præbeat, nec in eventorum societatem veniat (συναγωνίζεσθαι), sed uniuscujusque actus vel episodii summam complectatur, atque ad deliberationem vocet[3]. At quoniam actio maxime personarum indole ac moribus absolvitur, pars melica ætate posteriore attenuari potuit, quod præcipue in Philocteta factum videmus. Etiam canticorum solutorum (quæ bifariam a veteribus metri-

---

[1] Patin, I, 9.

[2] Κομμός, hoc est : planctus funebris.

[3] Aristot., Poet., c. XVIII, loco celebrato, quo Euripidem notat.

cis dividuntur in *ἀνομοιόστροφα* et *παρομοιόστροφα*[1]) quum indicia quædam jam apud Æschylum[2], tum certe apud Sophoclem in cantiunculis quibusdam solitariis, quibus *hyporchematis*[3] nomen est, deprehendere licet. Iis insolita quædam animi commotio sive gaudii, sive doloris exsuperantia declarari solet ut Trachiniarum carmine inde a v. 205, vel illis, quæ huic generi adnumerat Mullerus[4], Aj. v. 693, Philoctet. v. 391 et v. 827. Indole autem maxime differunt Sophoclis carmina chorica ab Euripideis, quum hæc sententiosa sint atque adhortationibus ad virtutem plena, illa vero mirifica quadam suavitate perfusa[5]. Quare Aristophanes (Pax, v. 535) ea inter blandimenta pacis ac delicias enumerat.

2. De tragicorum arte metrica.

Quum altius in causas, quibus carmina chorica apud tragicos corrupta fuerint, inquirimus, occurremus gravissimo poeticæ ac musicæ artis discidio, quod incidit in summam illam morum ac rerum publicarum circa belli Peloponnesiaci tempora conversionem. Antiquitus enim, inde ab Archilocho et Terpandro, quisquis carmina pangebat, idem et poeta erat et musicus[6]. Principem in poesi locum tenebat textus, ut nec syllabarum quantitas, nec accentus numeris musicis everterentur. Musice autem poeseos comes erat, adeoque

---

[1] Hermann., Elem. doctr. metr., p. 747.

[2] Seidler., de Vss. dochmiacis, p. 181, sqq.

[3] Hermann., El. doctr. metr., p. 732.

[4] *Griech. Literaturgeschichte*, II, p. 71.

[5] Dio Chrysost., II, p. 273 : Τά τε μέλη οὐκ ἔχει πολὺ τὸ γνωμικὸν οὐδὲ τὴν πρὸς ἀρετὴν παράκλησιν, ὥσπερ τὰ τοῦ Εὐριπίδου, ἡδονὴν δὲ θαυμαστὴν καὶ μεγαλοπρέπειαν.

[6] Sextus, Adversus Mathem., VI, 16 : Τὴν ποιητικὴν δὲ φαίνεται κοσμεῖν ἡ μουσική, μελίζουσα καὶ ἐπῳδὸν παρέχουσα... ἀμέλει γέ τοι καὶ οἱ ποιηταὶ μελοποιοὶ λέγονται.

serva, semperque eam esse voluit Plato [1]. Similia de aulœdice prædicat Plutarchus [2]: Πρωταγωνιστούσης δηλονότι τῆς ποιήσεως, τῶν δ' αὐλητῶν ὑπηρετούντων τοῖς διδασκάλοις. Nec non saltationem cum verbis conspirasse docet Lucianus [3] omninoque, quæcunque non ad carminis argumentum pertinent illustrandum penitiusque cognoscendum in accessionis et quasi in condimenti (ἥδυσμα) loco a veteribus habita sunt [4]. Sed jam Lasus [5] (circa Olymp. LXX) inclytus dithyramborum scriptor musicos numeros a syllabarum quantitate velut vinculo paullulum relaxasse videtur, adhibito illo multarum chordarum multarumque harmoniarum concentu [6]. Cinesias autem, Crexus, ac præsertim Melanippides [7], Philoxenus, Timotheus Lasi vestigiis insistentes eo usque licentiæ progressi sunt, ut omni antistrophica ratione sublata, carminum genus cui ἀναβολαί (procemia) nomen est, inveherent; quod omnium maxime μιμητικόν esse ab Aristotele docemur. Unde Dionysius, exceptiones in regulam convertens, verba melopœiæ subjungere jubet [8], exemplis ex Euripidis Oreste, fabula insulsissima, excitatis.

In tragœdiam, quippe quæ homines in scenam inducat vehementissimis animi affectibus inflammatos, novitatem hanc maturrime irruisse neminem mirum habebit. Ac quum in Pindari carminibus per longam stropharum, antistropharum, epodorum seriem bre-

---

1 Legg., VII, p. 812.

2 De Musica, p. 1141.

3 Lucianus, de Saltat., 62; cf. Plutarchum, Quæst. symp., IX, XV, 9; et de Glor. Ath., p. 347.

4 Bernhardy, *Geschichte der griech. Poesie*, p. 444.

5 Plutarchus, de Mus., p. 1141.

6 Plutarchus, ib.

7 Aristot., Problem., XIX, 15; Rhet., III, 9.

8 De Compos. Verb., c. XI.

ves brevibus, longis longas ad amussim respondere videmus, Æschylus, cujus tamen versus sunt elaboratissimi, ipsa fortasse rei natura coactus, a pristina illa numerorum severitate aliquid remisit. Nam quum duo metra tragœdiæ maxime sint propria, unum dochmiacum illud motus et agitationis plenum (⏑ –́ –́ ⏑ –), alterum glyconeum (× × | –́ ⏑ ⏑ | ⏒ –), molle et querulum, glyconeos parcissime usurpavit Æschylus, sæpius dochmios, ita quidem ut non velut apud Pindarum singuli tantum pedes occurrant, sed jam in systematis speciem continuentur. Et quamvis in carminibus antistrophicis plerumque exæquentur mensuræ, tamen hic illic apud ipsum Æschylum alia dochmii forma alii opponitur[1]. Sed glyconei polyschematisti[2] ab antiquissima tragœdia alieni erant; admittebantur tamen quædam basium permutationes. Sic in Æschyli Choephoris (v. 611-621) basis iambica basi trochaicæ opponitur:

> *σύμμετρόν τε διαὶ βίου —*
> *πνέονθ' ἁ κυνόφρων ὕπνῳ.*

Bases trium syllabarum (⏑⏑⏑, ⏑⏑ –, – ⏑⏑) nusquam apud Æschylum, rarissime apud Sophoclem, sæpius apud Euripidem et recentiores, quorum poesis propius ad comicam levitatem accedit, inveniuntur[3]; basium responsio autem in Sophoclis non requiritur, et minus etiam in Euripidis carminibus: quorum alter licentiam

---

[1] Hermannus, El. doctr. metr., p. 240, sqq.

[2] « Apparet dominari in glyconeo polyschematisto choriambum, qui solus immutabilis manet : tenere autem eum nunc medium locum inter basin et iambum, nunc ultimum, prægressis basi et trochæo, nunc denique primum, sequente dijambo. » (Hermannus, ibid, p. 526.) Nascuntur inde hæ formæ, quæ in recentiore tragœdia sibi invicem respondere poterant 1. ×̲ ×̲ | –́ ⏑⏑ – | ⏒ –́ 2. ×̲ ×̲ | –́ ⏒ | –́ ⏑⏑ – 3. –́ ⏑⏑ – | ⏒ –́ ⏑ –.

[3] Munk, *Metrik der Griechen u. Römer*, p. 113.

polyschematistorum admittere cœpit, alter ita frequentavit hoc (glyconeorum) metrum, ut jam necessarium ac pæne proprium tragœdiæ haberetur. *Atque, quo quæque recentior est ejus fabularum, tanto plus sibi licentiæ indulsit, adeo ut vel a comicis, qui vix sibi idem licere arbitrati sunt, ob eam rem reprehenderetur*[1].

Inter pristinam illam numerorum gravitatem, quam recentior ætas aspernata est, et hanc Euripideam mollitiem, quæ a *paracataloge,* quam vocant, profecta[2] ad carminum solutorum licentiam abripi se patiebatur, medius constitit Sophocles, qui acerbius ac nimis tardum Æschyli numerorum genus admixtis, quos fecit suavissimos, glyconeis temperavit, ac sapphicam quamdam dulcedinem in melicis fabularum partibus expressit[3]. Etiam in diverbio Sophoclis trimetri æqualiter ab Æschyleis, longarum syllabarum verborumque sesquipedalium plenis, ideoque lente ac magnifice incedentibus et Euripideis, qui cumulatis brevibus subsultant ac lasciviunt instar satyricorum, distant. Nam quum antiqua tragœdia rarius tribracho, nec nisi in formulis inevitabilibus uteretur[4] (διὰ μάχης, κατὰ νόμον), recentior inde ab Ol. xc et xci[5], etiam bisyllabas voces ictu in secundam syllabam incidente ad solutionem adhibuit velut in Orestis prologo :

> ἢ πόσιν ἀπείρῳ περιβαλοῦσ' ὑφάσματι
> οὐ καλόν, etc.

Ac quum anapæstum primo dumtaxat pede et ita admi-

---

[1] Hermann., El. doct. metr., p. 523.

[2] Hermann., ib., p. 278-291.

[3] Müller, *Geschichte der griech. Literatur,* II, p. 111. Nimirum melopœiam phrygiam primus poetarum atticorum suis carminibus aptasse dicitur, ut extrema Vitæ verba tradunt.

[4] Hermann., Elem. doct. met., p. 524.

[5] Hermannus, de Græc. ling. Dial., in Opusc., I, p. 121.

sissent Æschylus et Sophocles, ut integro verbo contineretur[1], Euripides duabus vocibus juxta positis hunc pedem efficere non dubitavit (Orest. v. 898). Fatendum tamen est, in recentioribus fabulis ipsum Sophoclem non illud studium illamque diligentiam, qua ante erat usus, retinuisse. Leviores enim hic illic in Philocteta ac semel in Ajace leguntur numeri, quos incuriæ nimis festinantis poetæ tribuit Hermannus[2]. Sed maxima in Euripide conspicitur negligentia, qui ne quantitatis quidem syllabarum satis observans fuit. Qui quam sæpe secundum vulgarem pronuntiationis usum longas syllabas ut breves, breves ut longas frequentaverit, exemplis congestis docuit Bernhardy[3].

3. De elementis quibus tragicorum dialectus constat.

Tragicos non semper atticos esse, sed dicendi genus condidisse ex omnibus fere Græciæ dialectis conflatum, jam inter omnes criticos constat[4]. Qua re hoc consequi voluisse putandi sunt, ut poesis eorum verbis ac formis inusitatis velut luminibus distincta quam longissime a quotidiani sermonis usu absit. Itaque vocibus nunc priscis nunc nove inventis antiquiorem, grandiorem et quasi horridiorem orationem suam reddidit Æschylus. Sed quamvis fabulæ ab eo in Sicilia conscriptæ vocabulis Siculis hic illic interspersæ fuerint[5], frequentiores sunt ionismi[6], quibus epicam quamdam gravitatem

---

[1] Munk, *Metrik*, p. 137.

[2] Hermannus, El. doctr. metr., p. 115, et in editione Philoctetæ passim.

[3] *Wissenschaftliche Syntax*, p. 14. Exempla sunt γέννᾰ, Hec. v. 160, ἤδῐον, Suppl. 1101, παλαῐόν, Electr. v. 497, etc.

[4] Guil. Schneider, de Dialecto Sophoclis, Jenæ, 1823.

[5] Athenæus, l. IX, p. 402.

[6] Idem in pedestri Thucydidis oratione evenisse scimus, quæ

retinuisse videtur. Quorum magnus numerus criticorum temeritate sublatus est, cujus generis sunt: θῶκος, ναός, τοκέες, γυνή (vocat. pro γύναι), τόθεν, διδοῖ, τιθεῖσι, πολευόμεναι, αὐτόχθονος = αὐτόχθων, κάμπη, ἄνη, etc. [1].

Sed etiam dorismum in tragicorum carminibus satis firmas radices fixisse, recentioribus philologorum disquisitionibus probatum est [2]. Cujus plurima exempla recurrunt in melicis, ubi multum faciunt ad augendum tumorem; paulo rarius in monodiis et τοῖς ἀπὸ σκηνῆς invenitur; in diverbiis nunquam. Tum hoc tenendum est, multo licentius dorismo uti Euripidem, cujus etiam monodiæ, medium inter diverbia et choricos cantus locum tenentes, fucato illo ac quasi meretricio ornatu refertæ sunt. Quod maxime in iis fabulis, quæ longissime a veræ poeseos indole absunt, ut in Hecuba, Troadis, Oreste, cernitur.

Habent tamen etiam tragicorum iambi nonnullas formas vetustiores quam quas vulgaris sermo ferat, quales sunt νιν, σφε, interdum σέθεν [3], et præpositiones post substantiva sua positæ, τούτων πέρι, ὅπλων μέτα, etc. Hæc et similia ut λῆρον τραγικόν sæpissime illudebat comœdia recentior [4].

Interdum ionica forma a tragicis doricæ præferebatur; quod tum præsertim factum esse videmus, quum dorica vulgari usu nimis tereretur. Sic Μηλιεύς et Μηλίς a Sophocle pro vulgato Μαλιεύς, τιήρας pro τιάρας ab Æschylo, ab utroque et ab Euripide semper Θρῄξ, Θρῄκιος, etc., usurpari certum est [5].

---

propius ad antiquam Æschyli et Sophoclis, quam ad recentiorem Euripidis et ad comœdiam accedit. Müller, II, p. 214.

[1] Bernhardy, *Wissenschaftliche Syntax*, p. 12.

[2] Ellendt, Lexicon Sophocleum, II, p. 35.

[3] Thiersch, *Griech. Schulgrammatik*, p. 201.

[4] Arist., Poet., c. XXII, 9, 14.

[5] Ellendt, Lexicon Sophocleum, II, p. 18.

Diversitas tragicorum nonnunquam in minoribus ac quasi minutioribus deprehenditur, veluti quum Sophocles sæpius ultimam pronominum enclisi affectorum ἡμίν et ὑμίν syllabam brevem facit, quod nullibi ab Euripide factum esse affirmant critici [1]. Idem Sophocles sæpius metri necessitate adactus δόρει scribit in mediis senariis pro δόρι, quam formam Aristophanes in Pace perstrinxit [2]. Sed talia longius a proposito nostro digrediuntur.

Maxime ex arte, qua verba duplicant et componunt poetæ, poeseos indoles elucere videtur. Atque Æschylus quanto studio exaggeratis et sesquipedalibus vocabulis sublime dicendi genus captaverit in vulgus notum; verbis *decompositis* gaudet Sophocles [3]. Sed Euripides portentosis quibusdam, quas ipse excogitavit, formis primus sinceram græci sermonis integritatem commaculare cœpit. Exempla plurima excitavit Bernhardy [4]: δυσθνήσκω, σταδιοδραμοῦμαι, κακοβουλεύομαι, συνασοφῶ, εὐθύς pro εὐθύ, etc.

4. De continuata oratione apud tragicos.

Sententias uno senario comprehendi ac cogitata ipso versuum exitu finiri, simplicitatis Æschyleæ est [5]. A qua quum nihil magis alienum sit, quam æquabile Euripideæ orationis flumen, quo sæpissime quasi oratorius orbis efficitur ille ad forensis et judicialis generis dicendi similitudinem accedens, nemo mirabitur in Æschyli fabulis, pro qua est inæqualitate, juxta minutissima cola periodos inveniri in immensum excur-

---

[1] Thiersch, *Griechische Schulgrammatik*, p. 202.
[2] Chœrobosc. ad Theod., in Bekkeri Anecdot., p. 1364.
[3] Hermannus, ad OEdip. Col., v. 1558.
[4] Bernhardy, *Wissenschaftliche Syntax*, p. 14.
[5] Dio Chrysost., Or. LII, p. 267: Οὐδὲν τὸ ἐπιβεβουλευμένον ἔχων.

rentes (vide Agam. v. 188). Sophocles autem relictis Æschyli ampullis, quum tamen socco ingredi nollet, docto quodam verborum et delectu et positu medium aliquod tenere studuit. Cujus rei in oratione continuata duo præsertim exstant argumenta, alterum in crasium multo frequentiore, quam qui apud Æschylum et Euripidem est, usu[1], alterum in vocali aliquoties in fine versus elisa positum[2]. Talis enim elisio nunquam apud Æschylum, semel apud Euripidem, sæpius apud Sophoclem sed ita demum occurrit, « ut proxime prægressa sit interpunctio, quæ, quod pausam in pronunciando fieri jubet, ea, quæ deinde sequuntur, arctius conjungi postulat[3]. » Sed non multum tribuerim Athenæi[4] testimonio, hanc rem in fabulas suas, quas ad Calliæ cujusdam tragœdiam grammaticam accommodaret, Sophoclem recepisse.

Quod ad tragœdiæ diverbia ac responsionum alternationes, quibus στιχομυθίαις nomen est, attinet, statarium quoddam est Æschyli colloquiorum genus, ut declamare ac sibi, non cum altero verba facere videantur dramatis personæ; at tam instabile et inconstans Euripidis est, ut quandoque etiam inutilia et inania effutiant, prodantque forensis, qualis tum erat, garrulitatis indicia. Media quædam hic, ut ubique, Sophoclis ars est. Omnia enim ejus colloquia tam pressa sunt verbis, tam densa sententiis, ut alii ex aliis hærere ac sibi invicem instare versus videantur. Responsiones paribus examinari ponderibus ac quasi librari diceres, ut non solum versuum numerus, sed etiam personarum sensa

---

[1] Ellendt, Lexicon Sophocleum in articulo ὁ ἡ τό et particula καί, I, p. 894.

[2] Hermann., de Græcæ linguæ dialectis, Opusc. I, p. 137, sqq.

[3] Sophoclis loci sunt : OEd. Rex., v. 29, v. 332, v. 785, v. 1184, v. 1224; El., v. 1017; OEd. Col., v. 16.1

[4] Athenæus, l. X, p. 453; cf. Hermannum loco citato.

exæquentur. Verumtamen de illa repetitionum æquabilitate, qua tantopere delectati sunt Græci, ut ea non solum in iis partibus fabularum, quæ canebantur, sed sæpe etiam in ipsis diverbiis usi sint, res est in vulgus nota [1]. Paribus vero vicibus versus inter personas, quæ colloquuntur, tum maxime distributos esse videmus, quum constans sibi atque æquabilis animorum affectio est in dialogo conspicua. Quod quoniam sæpius apud Æschylum et Sophoclem locum habere constat, non miraberis, in Electra (ut exemplo utar) integras fabulæ partes, quibus et diverbia et melica continentur, antistropharum ritu sibi respondere (v. 1398-1421; et 1422-1441) [2].

5. De tragicorum syntaxi.

Facilis est ac solutus Euripideæ orationis cursus, atque ad comicorum levitatem ita proclivis, ut sæpissime ad pedestris orationis viciniam descendat. Verba ejus non tam usu rariore, quam sollerti compositione poeticum quemdam colorem videntur duxisse [3]. Dionysius eum inter politæ floridæque dictionis auctores refert, quorum expeditior sit ac magis fluens verborum complexus [4]. Æschylea fere nulla est syntaxis, quum propositionibus utatur aut copulativis, aut disjunctivis aut adversativis, rarius causalibus et conditionalibus, totaque ejus compositio verbis potius nove et audacter duplicatis et in immensum excurrentibus quam verborum continuatione nitatur arte facta [5]. In tam abrupto et ut ita dicam præcipite dicendi genere frequentissima sunt asyndeta, aposiopeses, anacoluthiæ, pleonasmi,

---

[1] Hermann., El. doct. metr., p. 718.
[2] Müller, *Griech. Literaturgeschichte*, II, p. 76.
[3] Longin., περὶ Ὕψους, c. XL.
[4] De Compos. Verborum, c. XXIII; cf. Arist., Rhet., III, 2, 5.
[5] Müller, II, p. 107.

Quæ subinde, antiquo more, abundantius dixit Æschylus velut illa : ἥκω καὶ κατέρχομαι, σκοποὺς καὶ κατοπτῆρας, Sept. c. Theb. v. 36; εἰς τοὺς ἔνερθε καὶ κατὰ χθονὸς τόπους, Eumen. v. 1009, ab Aristophane (Ran. v. 1165-1168) perstringuntur. Omnino elegantibus recentioris ævi Atheniensibus turgidus declamator videbatur esse ut Aristophanes (Nub. v. 1370) auctor est : ἀξύστατος, ψόφου πλέως, στόμφαξ, κρημνοποιός. Æquum est Dionis Chrysostomi (Or. LII, p. 267) judicium : ἥ τε τοῦ Αἰσχύλου μεγαλοφροσύνη καὶ τὸ ἀρχαῖον, ἔτι δὲ καὶ τὸ αὔθαδες τῆς διανοίας καὶ φράσεως, collato Dionysio περὶ δεινότητος Δημοσθένους cap. XXXIX et de Compos. Verb. cap. XXII, ubi inter austeræ dictionis auctores refertur. Quare jure mihi cum aliquo Ictini templo, ingentibus marmoreis, quadratis ac levigatis, lapidibus exstructo hanc poesin comparare videntur.

In Sophoclearum fabularum partibus melicis multa Æschyleæ acerbitatis ac grandiloquentiæ vestigia remanent, sed in diverbiis cognatum aliquod pedestri orationi dicendi genus deprehenditur. Non nova vocabula procudit, sed vulgaribus nove et significanter utitur, penitiorem quemdam eorum et primigenium sensum eruens [1]. Prægnanter, ut dicunt, loquitur Sophocles, ut verba ejus plus habeant in recessu, quam in fronte promittunt. Quod gratum certe fecit suæ ætatis Atheniensibus, qui quum jam quantam vim habeat accurata et facta quodammodo oratio, intelligerent, difficilioribus et subobscuris gaudebant, trita et vulgaria respuebant, tunc demum vel poetam vel oratorem probabant, quando mente præcurrere, et sensa ejus occupare, vel etiam divinare aliquid per eum licebat [2]. Sic enim, sive poeseos, sive orationis acumine

[1] Müller, II, p. 139, 140.

[2] Thucydides, III, c. XXXIII; cf. Mulletum loco citato.

lacessiti sibi ipsi acuti esse videbantur. Talibus cum civibus rem sibi esse quum sentiret Sophocles, docto utebatur dictionis artificio, ut semper in se inquireret, semper circumspiceret, semper sui ipsius esset observans. Cola et enuntiationes sic alia ex aliis nectebat, ut in earum commissuris ac quasi verticulis, velut gradibus insisteret, quo distincte magis ac circumscripte eas notaret. Unde subtilis illa et inconcinna verborum constructio fluxit, inter prosarios imprimis Thucydidi propria [1]; quæ longissime ab absoluta illa ac pæne oratoria Euripidis abest rotunditate. Ita enim Sophocles verbis aptus est ac pressus, ut nescias, utrum res oratione, an verba sententiis illustrentur [2]. Sed quum artificiosa dictione poesin a vulgari sermone distinguendam esse putaret, in hoc fastigio eam constituisse videtur, ubi difficile est, modum tenere; nec latuit id Hermannum [3], qui interdum eum jam in partem inclinare illam, quæ propior sit vitio, perspexit.

In universum Sophocli suavitatem austeram ac solidam, qualis est generosi vini, non dulcem atque decoctam tribuerunt critici veteres [4]. De orationis suavissima elegantia et accuratione, cui acerbitatis sit aliquod temperamentum admixtum bene judicat Dionysius Halicarnassensis [5], qui medium compositionis characterem ei assignat. Laudem λογιότητος (quod haud facile latine vertas vocabulum) uno ore ei impertiit antiquitas [6], traxitque apiculæ (μέλιττα) cognomen, quod de optimo

---

[1] Müller, II, p. 396.

[2] Sic Cicero loquitur de Thucydide, de Orat., II, c. XIII.

[3] Præfatio ad Trachinias, p. XIII.

[4] Diog., IV, XX : Οὐ γλύξις, οὐδ' ὑπόχυτος, ἀλλὰ Πράμνιος.

[5] Vett. script. Censura, II, XI : Σοφοκλῆς μὲν οὐ περιττὸς ἐν τοῖς λόγοις, ἀλλ' ἀναγκαῖος. Cf. de Compos. Verb., c. XXIV.

[6] Plutarch., de Glor. Ath., p. 308, d.

quoque poeta summum florem delibasset[1]. Quare vere de eo dixisse videtur auctor Vitæ : ἤνεγκε τὰ μικτά· εὐκαιρίαν, γλυκύτητα, τόλμαν, ποικιλίαν, mediumque inter Æschylum et Euripidem collocat Chrysostomus[2] : Ὁ δὲ Σοφοκλῆς ἔοικεν μέσος ἀμφοῖν εἶναι, οὔτε τὸ αὔθαδες καὶ ἁπλοῦν τὸ τοῦ Αἰσχύλου ἔχων, οὔτε τὸ ἀκριβὲς καὶ δριμὺ καὶ πολιτικὸν τὸ τοῦ Εὐριπίδου, σεμνὴν δέ τινα καὶ μεγαλοπρεπῆ ποίησιν τραγικώτατα καὶ εὐπρεπέστατα ἔχουσαν, ὥστε πλείστην εἶναι ἡδονὴν μετὰ ὕψους καὶ σεμνότητος, ἐνδείκνυσθαι. Atque ipse Sophocles suæ sibi conscius fuisse videtur excellentiæ, quum Æschylo nimium verborum strepitum exprobraret (vide nos supra pag. 4), reprehenderetque, quod ebrius ille ad carmina pangenda accederet[3], de suis vero et Euripidis fabulis ita judicaret, ut ab illo hominum ingenia, qualia essent, a se, qualia esse deberent, exprimerentur[4]. Jam quid sibi voluerit Longinus[5] : Ὁ δὲ Πίνδαρος καὶ ὁ Σοφοκλῆς ὁτὲ μὲν οἷον πάντα ἐπιφλέγουσι τῇ φορᾷ, σβέννυνται δ' ἀλόγως πολλάκις καὶ πίπτουσιν ἀτυχέστατα, non difficile erit dictu. Innuit enim dicendi formam non semper constantem sibi, sed congruenter personæ, quæ loquens inducitur, variantem. Quis enim totius tragœdiæ unum sonum et unum esse stylum vellet[6]?

Quum sic triumvirum dicendi genera velut per transennam aspexerimus, omnes tragœdiæ gradus ac quasi processus emensi, ad singula dictionis Sophocleæ capita aggrediamur.

---

[1] Μόνος δὲ Σοφοκλῆς ἀφ' ἑκάστου τὸ λαμπρὸν ἀπανθίζει· καθὸ καὶ μέλιττα ἐλέγετο. (Soph. Vita.)

[2] Orat. LII, p. 272.

[3] Athenæus, X, p. 428, F.

[4] Aristot. Poet., c. XXVI.

[5] Περὶ Ὕψους, c. XXXIII.

[6] Bernhardy, *Geschichte der griech. Poesie*, p. 198.

CAPUT SECUNDUM.

§ 1. DE PLEONASMO APUD SOPHOCLEM.

I. Austeram illam Æschyli dictionem, quum verborum ac propositionum concinnitati minime consulat, frequenter admittere pleonasmum, nimiumque redundare, superiori disputatione est demonstratum. Sed quum Sophoclis sit medium dicendi genus, abundantiam illam et rariorem fore, et quando in eam incidit, de industria a poeta accitam esse facile persuasum habebimus. Inservit enim hæc figura maxime ei, quam Cicero vocat, *sub oculos subjectioni*. Ejus generis sunt :

1. Substantiva abstracta juxta verba vel ejusdem stirpis, vel ejusdem significationis posita : ὕπνῳ γ' εὕδοντα, OEd. R. v. 65; ὅπως λόγοισιν ἐκκλέψεις λέγων, Phil. v. 55; φόβῳ δείσαντας, OEd. Col. v. 1625; ὄκνῳ δείσαντες, Phil. v. 225; φύσει πεφυκότα, Phil. v. 19. Peculiare autem, ni fallor, uni propemodum Sophocli est substantivum illud, sic e verbo erutum, facere propositionis subjectum, OEd. Col. v. 664 : πολλαὶ δ' ἀπειλαὶ πολλὰ δὴ μάτην ἔπη θυμῷ κατηπείλησαν. Trach. v. 345 : χὠ λόγος σημαινέτω. El. v. 771 : ἀλλ' ὁ προστατῶν χρόνος διῆγέ μ' αἰὲν ὡς θανουμένην = διῆγον ὡς θανουμένη, etc. Interdum pro verbo adjectivum habes velut OEd. R. v. 1469 : ἴθ', ὦναξ, ἴθ' ὦ γονῇ γενναῖε.

2. Verbum finitum sæpe jungitur participio vel ejusdem verbi vel quod eumdem sensum præbeat, Trach. v. 1059 : γενοῦ μοι παῖς ἐτήτυμος γεγώς. Trach. v. 1124 : φανῇς... γεγώς. Aj. v. 882 : τὸν ὠμόθυμον εἴ που λεύσσεις προσβλέπων. Trach. v. 907 : εἴ που βλέψειεν... εἰσορωμένη. Antig. v. 763 : σύ τ' οὐδαμᾶ τοὐμὸν προσόψει κρᾶτ' ἐν ὀφθαλμοῖς ὁρῶν. OEd. Col. v. 1317 : ἱκετεύομεν...

ἐξαιτούμενοι. Aj. v. 1043 : ἐξευρίσκω ζητῶν, quæ locutio pæne pleonastica passim apud nostrum invenitur. Jam ex iis, quæ citavimus, exemplis palam fit, multos apud Sophoclem pleonasmos ex annominationis vel alliterationis studio originem traxisse. A Lobeckio notantur maxime hæc : Aj. v. 306 : ἐν δ' ἐρειπίοις νεκρῶν ἐρειφθείς. Phil. v. 1101 : εἵλου τὸ κάκιον ἑλεῖν. Ibid. v. 747 : πρόχειρον εἴ τι σοι πάρα... ξίφος χεροῖν. OEd. R. v. 878 : ἔνθ' οὐ ποδὶ χρησίμῳ χρῆται. Trach. v. 946 : ἀμφιπλῆγι φασγάνῳ πεπληγμένον.

3. Adjectivum interdum jungitur substantivo vel participio idem significanti, Trach. v. 890 : πλησία παραστάτις. Ib. v. 897 : παροῦσα πλησία. Quare sæpius παρών abundare viris doctis est visum ; injuria, etenim semper novum, quamvis leve, momentum cogitationi addit. Cf. OEd. R. 757; Aj. 336, 1129; El. v. 1203 : τῷ παρόντι νῦν χρόνῳ, etc. Item ambitum quemdam orationis non necessarium facere videtur Ellendtio φανείς in Trach. v. 1; Phil. v. 1319 : πέρσας φανῇς. OEd. Col. v. 808 : φύσας φανεῖ. Falleretur etiam qui ἔχων abundare putaret, Aj. v. 58 : διασσοὺς Ἀτρείδας αὐτόχειρ κτανεῖν ἔχων (*tenens eos*) vel pronomen possessivum ἐμός bis in Trachiniis ad pondus augendum appositum, Tr. v. 4 : ἐγὼ δὲ τὸν ἐμὸν (αἰῶνα) ἔξοιδ' ἔχουσα. Conf. v. 1208. At frequentissime sic ut videatur abundare, a Sophocle usurpatur participium ἰών, Aj. v. 279 : ὅσην κατ' αὐτῶν ὕβριν ἐκτίσαιτ' ἰών. Antig. 764 : δράτω, φρονείτω μείζω ἢ κατ' ἄνδρ' ἰών. Collatis, Phil. v. 353, OEd. R. v. 1395.

4. Possunt inter pleonasmos referri, genitivi, dativi accusativi quos vocant duplices, quorum aliquot exempla citare libet :

Genitivi (Trach. v. 778) : αὐτοῦ... πνευμόνων ἀνθήψατο.
Accusativi (Aj. v. 1126) : οὕτω δὲ καί σε καὶ τὸ σὸν λάβρον στόμα χειμὼν κατασβέσειε τὴν πολλὴν βοήν.
— (OEd. Col. v. 231) : πατέρα... αὐδὰν... ἀίοντες.

— (Ib. v. 305) : κυνῆ πρόσωπα Θεσσάλη νιν ἀμπέχει.
Dativi (Aj. v. 408) : Κόμην ἀπρὶξ ὄνυξι συλλαβὼν χερί.
(OEd. Col. v. 1321) : εὔχεται κατασκαφῇ
Καπανεὺς τὸ Θήβης ἄστυ δῃώσειν πυρί.

4. Velut actio verbi augetur participiis (ἔχων, φέρων, λαβών, παρών), ac substantivi adjectivis quibusdam juxtapositis (ξυνὼν χρόνος, ξυγγενεῖς μῆνες, ξύνοικος, OEd. Col. v. 1123), quem pleonasmum possis *positivum* appellare, exstat, isque notissimus græcæ linguæ pleonasmus *negativus*, eo consistens, quod plures negationes juxta se positæ non se tollunt, sed invicem corroborant. Quod non solum de ipsis verum est particulis negativis, quas interdum ita cumulavit Sophocles, ut etiam enuntiationis sensum obscuraret (El. v. 1119; OEd. Col. v. 350; Antig. v. 3), sed etiam de adjectivo quolibet privandi notionem involvente, Antig. v. 396: ἐγὼ δ' ἐλεύθερος δίκαιός εἰμι τῶνδ' ἀπηλλάχθαι κακῶν. Antig. v. 441 : ἔξω βαρείας αἰτίας ἐλεύθερον. Aj. v. 464 : γυμνὸν φανέντα τῶν ἀριστείων ἄτερ (cf. Hom. Iliad. XXI, 50 : γυμνὸν ἄτερ κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος). Phil. v. 31 : ὁρῶ κενὴν οἴκησιν ἀνθρώπων δίχα. OEd. R. v. 56 : ὡς οὐδέν ἐστιν οὔτε πύργος, οὔτε ναῦς ἔρημος ἀνδρῶν μὴ ξυνοικούντων ἔνι. Sic χωρίς et ἄνευ juxta posita sunt, OEd. R. v. 1464.

Peculiare Sophocli videtur esse, vel duplex pronomen, vel duplicem præpositionem, vel etiam articulum, ubi minime eum exspectaveris, ponere, quod epexegeticum est dicendi genus.

Pronominis hæc sunt exempla : OEd. R. v. 246-248 : τὸν δεδρακότα... κακὸν κακῶς νιν ἄμορον ἐκτρῖψαι βίον. Trach. v. 287 : αὐτὸν δ' ἐκεῖνον, εὖτ' ἂν ἁγνὰ θύματα ῥέξῃ.... φρόνει νιν ὡς ἥξοντα. Philoct. v. 315 : οἷς Ὀλύμπιοι θεοὶ δοῖέν ποτ' αὐτοῖς ἀντίποιν' ἐμοῦ παθεῖν.

Duplicis præpositionis hæc. Trach. v. 1155: πρὸς τῶν θανόντων μηδενὸς θανεῖν ὕπο. OEd. R. v. 919: πρὸς τῆς τύχης ὄλωλεν, οὐδὲ τοῦδ' ὕπο. Phil. v. 554 : ἃ τοῖσιν

Ἀργείοισιν ἀμφὶ σοῦ 'νεκα βουλεύματ' ἐστί. Aj. v. 740: ἐνδόθεν στέγης μὴ 'ξω παρήκειν. Quibus adnumerare possis OEd. Col. v. 1269: πρός σοι παρασταθήτω. Phil. v. 1056: ἐπεὶ πάρεστι μὲν Τεῦκρος παρ' ἡμῖν. OEd. Col. v. 419: πάρος τοῦ 'μοῦ πόθου προὔθεντο τὴν τυραννίδα, quæ tamen non tam pleonasmi, quam cujusdam anacoluthi speciem præ se ferunt.

Frequentissima autem apud tragicos, maximeque apud Sophoclem exempla sunt articuli δεικτικῶς adhibiti, ut vim exprimat pæne pronominis demonstrativi[1]: Trach. v. 438: τοὺς λόγους, *ea* verba, quæ facies. OEd. R. v. 380, 572, 845. Trach. v. 598: τῷ μακρῷ χρόνῳ. Aj. v. 305: τὰ δείν' ἐπηπείλησ' ἔπη. El. v. ~~294~~: ὁ σὺν γυναιξὶ τὰς μάχας ποιούμενος. El. v. ~~554~~: τὰ πολλὰ πνεύματα (venti, *qui flare solent*). Sæpissime a Sophocle articulus infinitivo præponitur: 1° aut appositionis loco, velut, Aj. v. 114: ἐπειδὴ τέρψις ἥδε σοι τὸ δρᾶν, cf. Antig. v. 79. OEd. Col. v. 441: τὸ (*hoc*, scilicet: δρᾶν, facere) οὐκ ἠθέλησαν. Antig. 707 sqq., Phil. v. 1241 (ὅς σε κωλύσει τὸ δρᾶν); 2° aut ita, ut sensum habeat particulæ ὥστε, *quod attinet ad hoc*. Antig. v. 164: πάρεσθ' ὅδε Κρέων τὸ πράσσειν καὶ τὸ βουλεύειν. El. v. 466: δράσω· τὸ γὰρ δίκαιον οὐκ ἔχει λόγον δυοῖν ἐρίζειν, ἀλλ' ἐπισπεύδειν τὸ δρᾶν. Antig. v. 1106: μόλις μέν, καρδίας δ' ἐξίσταμαι τὸ δρᾶν. Phil. v. 48, v. 1252. Aj. 1143. In omnibus his exemplis exquisitam quamdam significationem habet articulus et docte a Sophocle novatam.

Accedit particularum nonnullarum velut γέ et ἄν bis positarum abundantia, Sophocli non tam cum Æschylo quam cum Euripide communis. Non verus his est pleonasmus, sed orationis cum arte factæ subtilitas. Particulæ ἄν et γέ enim omni voci addi possunt, de qua

---

[1] Hermanni nota ad Aj. v. 114.

maxime instare velis[1]. Attamen γέ bis, vel etiam ter positum, frequentius apud Sophoclem invenitur, Phil. v. 439. OEd. Col. v. 917. OEd. R. v. 1050 et v. 1397. Trach. v. 335, cum notula nostra.

II. Quum a pleonasmo qui verbo, ad eum, qui integro propositionis membro efficitur, procedimus, obviam fit ille, quem tantopere amabant Græci, *parallelismus antitheticus*, isque etiam Sophocli consuetissimus. Quæ figura quum nativam quamdam gratiam habere videretur, multumque ea Sophocles esset usus, aliqui hac re Homerum ab eo exprimi censuerunt. Attamen et cæteri tragici et omnino omnes poetæ hoc pleonasmi genus frequentarunt. Sophoclis exempla quædam luculentissima hæc sunt : OEd. Col. v. 898 : τούτοισιν, οὐκ ἄλλοισιν. Ib. v. 388 : βαιοῦ κοὐχὶ μυρίου χρόνου. Aj. v. 289 : οὐχ ὑπ' ἀγγέλων, ἀλλ' αὐτόκλητος. Trach. v. 472 : θνητὴν φρονοῦσαν θνητὰ κοὐκ ἀγνώμονα, πᾶν σοι φράσω τἀληθὲς κοὐδὲ κρύψομαι. Ib. v. 963 : ἀγχοῦ δ' ἄρα κοὐ μακράν. OEd. R. v. 1018 : οὐ μᾶλλον οὐδὲν τοῦδε τἀνδρός, ἀλλ' ἴσον, et sexcenta alia. Aliquatenus etiam huc spectant exempla vere Sophoclea, in quibus studium annominationis conspicuum est, Aj. v. 1292 : εἰ μὴ ξυνάψων, ἀλλὰ συλλύσων πάρει (cf. Antig. v. 40 : λύουσ' ἂν ἢ 'φάπτουσα). Ib. 519 : οὔτοι συνέχθειν, ἀλλὰ συμφιλεῖν ἔφυν. Tum antithesis soli Sophocli propria est, quum propositionis per οὐ interrogantis membrum alterum per μή inducitur, velut Aj. v. 75 : οὐ σῖγ' ἀνέξει, μηδὲ δειλίαν ἀρεῖς, quorum sensus hic est : *tace, neve terrorem concipe*. Nempe negatio prior (οὐ) ad totam enuntiationem refertur, altera autem τῷ · σῖγα ἀνέχειν, opponitur. OEd. R. v. 658 : οὐκ εἶ σύ τ' οἴκους..., καὶ μὴ τὸ μηδὲν ἄλγος εἰς μέγ' οἴσετε. Trach. v. 1183 : οὐ θᾶσσον οἴσεις, μηδ' ἀπιστήσεις ἐμοί;

Porro Sophoclea videtur esse abundantia, quum pa-

---

[1] Kühner, § 458, sqq.; Hermann., ad Phil. v. 439.

rallelismo antithetico absoluto, prior pars, quæ affirmativa est, aliis verbis repetitur; quod dicendi genus potest inter attractiones numerari, quoniam secunda affirmatio accitur quasi prægressa negatione, quum poeta affirmationis prioris oblitus esse videatur:

Trach. v. 431-33 : Ὅς σου παρὼν ἤκουσεν, ὡς ταύτης πόθῳ
πόλις δαμείη πᾶσα, κοὐχ ἡ Λυδία
πέρσειεν αὐτὴν ἀλλ' ὁ τῆσδ' ἔρως φανείς,

ubi verbis *ταύτης πόθῳ* et *ὁ τῆσδ' ἔρως* bis idem exprimitur.

Inde fit transitus ad protasin inter duas apodoses positam, qualis hæc est (Aj. v. 946-947):

Ὧν γὰρ ἠράσθη τυχεῖν
ἐκτήσαθ' αὑτῷ θάνατον, ὅνπερ ἤθελεν.

De hoc propositionum genere sæpius disputavit Hermannus, OEd. Col. v. 89, 779, 1150, 1243; Philoct. v. 464, v. 269. Postremum exemplum hic apponam:

Ὃν οἱ
δισσοὶ στρατηγοὶ χὠ Κεφαλλήνων ἄναξ
ἔρριψαν αἰσχρῶς ὧδ' ἔρημον, ἀγρίᾳ
νόσῳ καταφθίνοντα, τῆς ἀνδροφθόρου
πληγέντ' ἐχίδνης ἀγρίῳ χαράγματι·
ξὺν ᾗ μ' ἐκεῖνοι, παῖ, προθέντες ἐνθάδε
ᾤχοντ', ἔρημον, ἡνίκ' ἐκ τῆς ποντίας, etc.

Cui loco quum negligentiam exprobrasset Buttmannus, gratam eam negligentiam esse contendit Hermannus: « quam venustatem orationis potius dici conveniebat, quum posita esset in apta imitatione sermonis familiaris. »

Pleonasmus cum constructionis confusione invenitur OEd. Col. v. 513: Ἤνεγκον κακότατ', ὦ ξένοι, ἤνεγκ' ἄκων μέν..., τούτων δ' αὐθαίρετον οὐδέν, quæ sic debent expli-

cari : ἤνεγκον μὲν κακότητα, ἄκων δ' ἤνεγκον. Tum verba τούτων δ' αὐθαίρετον οὐδέν abundanter adjecta sunt.

§ 2. DE ASYNDETO.

Asyndeti similiter atque pleonasmi frequentissima in auctoribus ac poetis austera dictione insignibus exempla inveniuntur. Quare lubentissime ab Æschylo [1] usurpatur, sive gradationi inservit, sive concitatæ rerum enumerationi; rarius eo utitur, sed utitur tamen Sophocles. In gradatione præsertim imperativorum, ut Trach. v. 1250: ἄγ' ἐγκονεῖτ', αἴρεσθε. Aj. v. 798: χωρῶμεν, ἐγκονῶμεν, οὐχ ἕδρας ἀκμή. Antig. v. 764: δράτω, φρονείτω, μεῖζον ἢ κατ' ἄνδρ' ἰών. Phil. v. 11: βοῶν, ἰύζων. Aj. 59-60 : ἐγὼ δὲ φοιτῶντ' ἄνδρα μανιάσιν νόσοις ὤτρυνον, εἰςέβαλλον εἰς ἕρκη κακά. El. v. 715: ἤφριζον, εἰςέβαλλον ἱππικαὶ πνοαί. Abrupte dictum, Phil. v. 1201 : ἔτ' οὐδέν εἰμι. Asyndeton in antithesi negativa habetur, OEd. Col. v. 1538: στείχωμεν ἤδη, μηδ' ἔτ' ἐντρεπώμεθα. Asyndeta in enumeratione hæc fere sunt : Antig. v. 1066 : φανεῖ γάρ, οὐ μακροῦ χρόνου τριβή, ἀνδρῶν, γυναικῶν σοῖς δόμοις κωκύματα. OEd. Col. v. 17 : δάφνης, ἐλάας, ἀμπέλου. Ib. v. 130 : ἀφώνως ἀλόγως τὸ τᾶς εὐφήμου στόμα φροντίδος ἱέντες. Ib. 482 : ὕδατος, μελίσσης.

Sæpe in constructionibus participialibus occurrit asyndeton, quum apud Æschylum et Euripidem, tum etiam apud Sophoclem [2], OEd. Col. v. 453 : τοῦτ' ἐγῷδα τῆσδέ τε μαντεῖ' ἀκούων, συννοῶν. Familiarissimum Æschylo est dicendi genus, quum a participio repente transitus fit ad verbum finitum. Nec apud Sophoclem quidem exempla desunt, OEd. R. v. 1198 : κατὰ μὲν φθίσας, θανάτων δ' ἐμᾷ χώρᾳ πύργος ἀνέστας.

---

[1] Bernhardy, *Wissenchaftliche Syntax*, p. 448, not. 96.

[2] Bernhardy, ib., 473.

§ 3. DE ANACOLUTHO.

Quum nihil in Æschyli poesi anacolutho frequentius sit, non ita certe evanuit apud Sophoclem, ut exempla ejus invenire non possis. Sed et rariora sunt, maximeque in melicis partibus occurrunt, et a verbis aut prægressis aut sequentibus poetæque consilio excusationem habent. Denique hoc tenendum est, apud Sophoclem anacoluthon, quod duarum structurarum diversitate constat, minus frequenter usurpari, quam id, quod inconcinna quadam propositionum junctura efficitur.

Anacoluthon est, quum in allocutione vocativum singulari numero positum sequitur pluralis numerus verbi, velut OEd. Col. v. 1102: ὦ τέκνον, ἦ πάρεστον; Ib. v. 1104: προσέλθετ', ὦ παῖ, quod hominis est de duobus cogitantis, sed cum uno tantum verba facientis.

Frequentissime apud Æschylum, aliquando etiam apud Sophoclem, singularis ac pluralis numerus miscentur, quum chorus scenam tenet. Prout enim de uno coryphæo, vel de omnibus choreutis cogitabit poeta, singularem vel pluralem numerum reponet, ut OEd. Col. v. 167: ὦ ξεῖνοι, μὴ δῆτ' ἀδικηθῶ, σοὶ πιστεύσας, etc.

Vulgare anacoluthon est, quum alio casu incipitur oratio, alio continuatur, El. v. 479: ὕπεστί μοι θράσος ἁδυπνόων κλύουσαν ἀρτίως ὀνειράτων. Antig. v. 853: ἔψαυσας ἀλγεινοτάτας ἐμοὶ μερίμνας, (gen.) πατρὸς τριπόλιστον οἶκτον (sc. λέγων). Trach. v. 804: τοσαῦτ' ἐπισκήψαντος... ἐν μέσῳ σκάφει θέντες σφε... ἐκέλσαμεν. Aj. v. 983: ὦ δυσθέατον ὄμμα, καὶ τόλμης πικρᾶς. Maxime in nominativis absolutis, ῥητορικῶς positis, ut subjecto pondus addatur: Antig. v. 239: λόγοι δ' ἐν ἀλλήλοισιν ἐῤῥόθουν κακοί, φύλαξ ἐλέγχων φύλακα. Ib. v. 409: καθήμεθα... ἐγερτὶ κινῶν ἄνδρ' ἀνήρ, etc. OEd. R. v. 159: πρῶτά σε

κεκλόμενος et seq. cf. Trach. v. 196, Phil. v. 863, 864, El. v. 466, cum notulis nostris.

Mutatur interdum tota constructionis ratio :

Aj. v. 758 : Εἶτα δεύτερον
δίας Ἀθάνας, ἡνίκ' ὀτρύνουσά νιν
ηὔδᾶτ' ἐπ' ἐχθροῖς χεῖρα φοινίαν τρέπειν,
τότ' ἀντιφωνεῖ δεινὸν ἄῤῥητόν τ' ἔπος.

Phil. v. 139: παρ' ὅτῳ τὸ θεῖον σκῆπτρον ἀνάσσεται, ubi ἐστί exspectes. Sic futurum in eadem enuntiatione juxta subjunctivum aoristi invenitur, Trach. v. 974, cujus exempla plurima apud Euripidem habentur.

Minus accurate junguntur propositiones, ut OEd. Col. v. 415: μάχης... ἧς νῦν ἔχονται, κἀπαναιροῦνται δόρυ. Ib. v. 458 : τῶν δὲ δαιμόνων, ἐφ' ἃς τὸ πρῶτον ἵκου καὶ (ὧν?) κατέστειψας πέδον. Cf. OEd. Col. v. 260; Phil. v. 268; Trach. v. 358; OEd. Col. v. 721.

Familiarissimum Sophocli anacoluthon est, quod per particulas inducitur; sic :

μέν... τέ (Philoct. v. 1410, 1047 ac passim) } ubi ab oppositione in partitionem,

τέ... δέ (Philoct. v. 1297 et alias)
μήτε... δέ (OEd. Col. v. 423 et alias)
οὔτε... οὐδέ (OEd. Col. v. 1141-1143) } in quibus a partitione in oppositionem fit commutatio.

Etiam per particulas ἐπεί, πλήν, ὡς, ὥστε, ὅτι anacoluthon invehitur [1]. El. v. 352: Ἐπεὶ δίδαξον. Trach. v. 41: πλὴν ἐμοὶ πικρὰς ὠδῖνας αὐτοῦ προσβαλὼν ἀποίχεται. OEd. R. v. 543 : οἶσθ' ὡς ποίησον = ὡς ποιητέον ἐστίν. Trach. v. 1182: ὡς πρός τί πίστιν τήνδ' ἄγαν ἐπιστρέφεις, ubi ὡς πρός τί dicta sunt pro ὡς... τί μὴ γένηται. Sed de his fusius scripsit Hermannus loco citato.

---

[1] Herm. ad Vigerum, p. 899.

§ 4. DE ALIIS ACERBÆ VEL ANTIQUÆ DICTIONIS APUD SOPHOCLEM VESTIGIIS.

I. Aposiopesis. Inter idiomata ab Æschylo frequentata etiam aposiopesis refertur[1]. Cujus aliqua apud Euripidem et Sophoclem exempla exstant, sed non tam euphemismi causa abruptæ, quæ modo inchoata erat, orationis, quam propter aliquem animi motum ellipsi affectæ. Hujus generis sunt Antig. v. 441 : σὲ δὴ, σὲ τὴν νεύουσαν ἐς πέδον κάρα, sc. λέγω, et familiares illæ in vetando locutiones, Antig. v. 577 : μὴ τριβὰς ἔτι, sc. ποιεῖτε vel τρίβετε. OEd. Col. v. 1441 : « Polyn. Εἰ χρή, θανοῦμαι. Ant. Μὴ σύ γ' (sc. ταῦτα εἴπῃς), ἀλλ' ἐμοὶ πιθοῦ. » Phil. v. 1277: ὡς θεοὶ ξυνίστορες, sc. ἔστων, γένοιντο.

II. Participium substantivi vices gerens. Aliud austeræ dictionis indicium participia sunt substantivorum vices gerentia, qualia multa apud Antiphontem et Thucydidem inveniuntur[2]; nec desunt apud Sophoclem, Trach. v. 196 : τὸ γὰρ ποθοῦν (desiderium). Ib. v. 144 : τὸ γὰρ νεάζον (juvenes, puellæ). OEd. Col. v. 1210 : τὸ θέλον, cupiditas. Ib. v. 1600 : πᾶν δρῶν = πᾶσα ὑπηρέτησις. Quod multo nervosius est dicendi genus, quam si substantivum verbale vel adjectivum reposuisses.

III. Substantivum verbale, cum constructione verbi. Tum notanda est ea significationis celeritas (τάχος τῆς σημασίας) qua austeræ dictionis auctores[3] vel adjectivis vel substantivis verbalibus easdem atque ipsis verbis structuras impertiunt. Sic apud Sophoclem, Trach. v. 553 : λυτήριον λύπημα = *res quæ solvit dolorem*. Ib. v. 872 : δῶρον Ἡρακλεῖ τὸ πόμπιμον. Antig. v. 783 : Καί σ' οὔτ' ἀθανάτων φύξιμος οὐδείς. Substantivorum exempla

---

[1] Bernhardy, *Geschichte der griech. Poesie*, p. 757.
[2] Müller, II, p. 330.
[3] Müller, ib., II, p. 363.

hæc sunt : Antig. v. 717 : φῦναι τὸν ἄνδρα, πάντ' (acc. plur.) ἐπιστήμης πλέων. Trach. v. 338 : τούτων ἔχω γὰρ πάντ' ἐπιστήμην ἐγώ. Aj. v. 1014 : Κἀκεῖνον Αΐδης δημιουργὸς ἄγριος, sc. ἦν (cf. notam Hermanni). Trach. v. 668 : τῶν σῶν Ἡρακλεῖ δωρημάτων. OEd. Col. v. 1016 : τὰ γὰρ δόλῳ τῷ μὴ δικαίῳ κτήματ' οὐχὶ σώζεται. Huc referendus esse videtur usus adverbia quædam cum substantivis non apposito articulo jungendi, velut hoc est, Trach. v. 380 : Ἰόλη Εὐρύτου ποτέ, *Euryti, qui olim fuit, filia*. Ib. v. 554 : ἀρχαίου ποτὲ θηρός, *semiferi, qui olim erat*. Ib. v. 1136, Νέσσος πάλαι Κένταυρος, ubi adverbium πάλαι non pertinere potest ad verbum ἐξέπεισε (anglice : Mr Gibbon *of late*).

IV. Oxymoron. Ex subtilitate et acumine, quo rerum similitudines et discrepantias acerrime videbant veteres illi poetæ, nata sunt oxymora, quæ tam frequenter apud Æschylum et Pindarum occurrunt[1]. Ab Æschylo *pulvis* mutus agminis nuntius appellatur. Pindarus de «*frigida flamma*» de «*judicio lapideo*» (λιθινὰ ψᾶφος) loquitur. Sed sunt etiam oxymora vulgari usu trita ut σκότος βλέπειν (luce privatum esse). Sophoclea hæc fere sunt. Trach. v. 875 : Βέβηκε Δηάνειρα τὴν πανυστάτην ὁδῶν ἁπασῶν ἐξ ἀκινήτου ποδός, viam iniit postremam *immoto pede*. Quippe unusquisque quum e vita decedit, iter facere dici potest pede immoto. Simile antiphraseos genus, Phil. v. 849 : Ἀλλ' ὥς τίς σ' Αΐδᾳ παρακείμενος ὁρᾷ (sc. te non videt). OEd. Col. v. 137 : Φωνῇ γὰρ ὁρῶ τὸ φατιζόμενον. OEd. Col. v. 75 : Ὅσ' ἂν λέγωμεν, πάνθ' ὁρῶντα λέξομεν, ubi oxymoron præparatum erat versu præcedente : Καὶ τίς πρὸς ἀνδρὸς μὴ βλέποντος ἄρκεσις ; OEd. Col. v. 680 : ἀκηράτῳ σὺν ὄμβρῳ, ubi de pura Cephisi aqua agit poeta ; quam quum propter fecunditatem cum

[1] Müller, II, p. 107.

imbre comparasset, quem et turbidum et lutulentum esse scimus, ἀκήρατος (incorruptus, limpidus) adjecit, ne quis de vero imbre cogitare posset. De notissimo loco El. v. 1389 : νεακόνητον αἷμα χεροῖν ἔχων, ubi commentatores αἷμα inepte *gladium* verterunt, adeas notulam nostram. Male oxymoron deprehendere sibi visi sunt viri docti in Philoctetæ loco v. 849 : Ὄμμασι ἀντίσχοις τάνδ' αἴγλαν, ubi de caligine cogitarunt. Immo de salutari nitore loquitur poeta, quo dormientis os suffunditur.

V. Videtur etiam antiquioris magis quam recentioris tragœdiæ illa locutio esse Sophocli familiarissima, qua longiorem orationem concludere solet : πάντ' ἀκήκοας λόγον (Phil. v. 1224; Aj. v. 480; Trach. v. 876), vel οἶσθα δὴ τὸ πᾶν (Phil. v. 241). Sic veteres Romani, orationem verbo *dixi* finire solebant.

§ 5. DE ANNOMINATIONE.

Annominationem, alliterationem, quamcunque vocis adsimilationem (ὁμοιοτέλευτον, παρήχησις, παρονομασία) etiam antiquissimi poetæ, præsertim Romani, amaverunt [1]. Ac plus semel iis usus est Æschylus (Sept. c. Theb. v. 893 sqq.; Pers. 542-544, 552-554, 680-681, 686-687; Prom. 866-867) nec abhorruit Sophocles; qui, quo recentior quæque ejus est fabula, eo frequentius eas usurpavit (vid. Pleonasmum), sed, si unas Trachinias excipias, ita, ut nec effectu carerent, nec ad inanem lusum degenerarent. Quis enim quum vituperarit in Euripidis versu sigmatismum (Med. v. 476) : Ἔσωσά σ' ὡς ἴσασιν Ἑλλήνων ὅσοι, non laudet apud Sophoclem (OEd. R. v. 615), ἅ σ' ἐξισώσει σοί τε καὶ τοῖς σοῖς τέκνοις,

---

[1] Munk, *Metrik der Griechen und Römer*, p. 18.

quo commoti spectatores, de nefasto Œdipi matrimonio cogitantes horrore tremere debebant; quis non gaudeat repetita consonante (ib. v. 371): τυφλὸς τά τ' ὦτα τόν τε νοῦν τά τ' ὄμματ' εἶ, qua Tiresiæ ira depingitur admirabiliter? Ac si comicæ levitatis esse videri potest verborum lusus in Philocteta, v. 1248, 1249: χρῆμα... κεχρημένοι, probabitur certe annominatio, v. 429:

> Ὀδυσσεὺς δ' ἐστὶν αὖ κἀνταῦθ' ἵνα
> χρῆν ἀντὶ τούτων αὐτὸν αὐδᾶσαι νεκρόν (cf. αὖθις αὖ πάλιν),

qua bene, quam moleste inimicorum superstitum mentionem ferat, significatur; nec rejicietur illa haud dubie proverbialis locutio, Aj. v. 1237: ποῖ βάντος, ἢ ποῦ στάντος, οὗπερ οὐκ ἐγώ (cf. Phil. v. 813). Quin laudabis fortasse versus 291-298 ejusdem fabulæ:

> Ἀλλ' ἐν πέτροισιν πέτρον ἐκτρίβων, μόλις
> ἔφην' ἄφαντον φῶς, etc.,

ubi lapidum fricationem et vehementes ignis eliciendi conatus sub oculos tibi subjici putares.

§ 6. DE BRACHYLOGIA.

Brachylogiæ quædam quum universæ linguæ tum tragicis nostris communes sunt. Sic sæpe particula negativa in enuntiationis bimembris parte priore omittitur (Aj. v. 239, 616); quod item præpositioni accidere solet (Trach. v. 971), et cuivis particulæ disjunctivæ, ut ἄλλοτε omissum est, Trach. v. 11. Frequentissima certe omissio est participii ὤν, quæ etiam post verbum τυγχάνειν locum habet (El. v. 46; Aj. v. 9, etc.). De locutione Ἰόλη Εὐρύτου ποτέ in antecedentibus dictum est. Sed potest usu venire ut verbum eundi subaudiri oporteat. Trach. v. 567: διεῤῥοίζησε

(ἄτρακτος) στέρνων ἐς πνεύμονας (sc. ἰών). Ib. 717 : ἐκ δὲ τοῦδε...σφαγῶν (sc. ἐξελθών)...διελθών. Ib. v. 903 : ἄψορρον ἀντῴη (sc. ἰών). OEd. Col. v. 23 : Ὅποι καθέσταμεν (sc. ἐλθόντες). Ib. v. 113 : Σύ μ' ἐξ ὁδοῦ (sc. ἄγων) κρύψον πόδα κατ' ἄλσος. Ib. 1024 : φυγεῖν τινα τόπου τινός=λιπὼν τόπον τινά.

Voces semel positæ interdum apud Sophoclem dupliciter erunt construendæ ut, Tr. 815, ὀφθαλμῶν ἐμῶν ad οὖρος et ad ἄπωθεν referendum est; ib. v. 929, τάδε ad φράζω et τεχνωμένης, Aj. v. 430, ἀριστεύσας (τὰ πρῶτα καλλιστεῖα στρατοῦ) ad στρατοῦ et ad τὰ πρ. καλλ., cf. OEd. Col. v. 115: Ἐν γὰρ τῷ μαθεῖν ἔνεστιν ηὐλάβεια τῶν ποιουμένων=ἐν τῷ μαθ. τὰ π. ἔνεστιν ηὐλάβεια αὐτῶν. Tr. v. 1071: εἰ τοὐμὸν ἀλγεῖς μᾶλλον (sc. κακούμενον εἶδος) ἢ κείνης ὁρῶν λωβητὸν εἶδος ἐν δίκῃ κακούμενον.

Ex pronomine αὐτός supplendum est pronomen reflexivum ἑαυτοῦ, Phil. v. 691 : ἵν' αὐτὸς ἦν πρόσουρος (sc. ἑαυτῷ).

Ex verbo supplenda alia ejusdem verbi forma OEd. Col. v. 1102, τῷ τεκόντι πᾶν (sc. τεχθὲν) φίλον. OEd. Col. v. 1372 : τοίγαρ σ' ὁ δαίμων εἰσορᾷ μὲν οὔ τί πω ὡς αὐτίκα (sc. ὄψεται). El. v. 1017: ἀνέξομαι κλύουσα (sc. κλύσουσα) χὤταν εὖ λέγῃς. OEd. Col. v. 1678 : βέβηκας ὡς μάλιστ' ἂν (sc. βαίης). El. v. 1434: βᾶτε τὰ πρὶν εὖ θέμενοι, τὰ δ' ὡς πάλιν (εὖ θῆσθε). OEd. R. v. 694: ὅς τ' ἐμὰν γᾶν φίλαν κατ' ὀρθὸν οὔρισας, τανῦν τ' εὔπομπος (οὐρισείης), εἰ δύναιο. Aj. v. 1036: ἐγὼ μὲν ἂν καὶ ταῦτα (sc. μεμηχανηκέναι) καὶ τὰ πάντ' ἀεὶ φάσκοιμ' ἂν ἀνθρώποισι μηχανᾶν θεούς. Huc referenda usitata formula νῦν τε καὶ πάλαι λέγω, quam sine brachylogia habemus, OEd. Col. 922 : εἶπον μὲν οὖν καὶ πρόσθεν, ἐννέπω δὲ νῦν. Omittitur post μέλλω verbum prægressum OEd. Col. v. 1064: ἔρδουσιν ἢ μέλλουσιν (sc. ῥέξειν). Trach. v. 953: κοινά τ' ἔχειν τε καὶ μέλλειν (sc. ἕξειν).

Sophocleus idiotismus in his exemplis conspicuus est.

Antig. v. 1092 : μόλις μέν (sc. δρῶ), καρδίας δ' ἐξίσταμαι τὸ δρᾶν. Trach. v. 536 : κόρην γάρ, οἶμαι δ' οὐκέτ', ἀλλ' ἐζευγμένην παρεισδέδεγμαι, pro παρεισδέδεγμαι κόρην, οἶμαι δ' οὐκέτ' αὐτὴν κόρην εἶναι, ἀλλ' ἐζευγμένην, ubi nota contractionem quamdam propositionum brachylogia effectam. Ejusdem contractionis genus cernitur in quibusdam imprecationibus. Phil. v. 943 : Ὄλοιο μήπω, πρὶν μάθοιμ' εἰ καὶ πάλιν γνώμην μετοίσεις, pro ὄλοιο μέν, μήπω δὲ ὄλοιο. Trach. v. 383 : Ὄλοιντο μήτι πάντες οἱ κακοί, τὰ δὲ λαθραῖ', ὃς ἀσκεῖ μὴ πρέποντ' αὐτῷ κακά, pro ὄλοιντο μὲν οἱ κακοί, πάντες δὲ μή, ἀλλ' ὅς, etc.

Sicut in his exemplis affirmativa orationis pars attrahitur ac quasi absorbetur a negativa, ita exstant etiam, in quibus ad sensum recte intelligendum opus sit aliquo verbo significationis negativæ, quod subaudias. Talia sunt, ac, si verum videmus, soli Sophocli propria. Aj. v. 655 : δεινῶν τ' ἄημα (sc. παυσάμενον) πνευμάτων ἐκοίμισε στένοντα πόντον. Trach. v. 654 : Ἄρης οἰστρηθεὶς ἐξέλυσεν ἡμέραν ἐπίπονον, sc. παυσάμενος, unde palam fit, frustra et pro δεινῶν, λείων et pro οἰστρηθείς, εὖ vel etiam αὖ στρωθείς a viris doctis conjectum fuisse.

In exemplis illis quum, ni fallimur, brachylogia ex antithesi manaverit (δεινῶν, ἐκοίμισε : οἰστρηθείς, ἐξέλυσε), idem in his factum esse putamus. Trach. v. 95 : (νὺξ Ἅλιον) ἐναριζομένα τίκτει, κατευνάζει τε (sc. γεννωμένη). OEd. R. v. 489 : τί γὰρ ἢ Λαβδακίδαις (sc. πρὸς τὸν Πόλυβον) ἢ τῷ Πολύβῳ (sc. πρὸς τοὺς Λαβδακίδας) νεῖκος ἔκειτο, nec non in longioribus periodi membris, OEd. R. v. 236 : τὸν δ' ἄνδρ' ἀπαυδῶ τοῦτον μήτ' εἰσδέχεσθαι, μηδὲ προσφωνεῖν τινα, ὠθεῖν δ' ἀπ' οἴκων πάντας (sc. κελεύω). El. v. 71 : Καὶ μή μ' ἄτιμον τῆσδ' ἀποστείλητε γῆς ἀλλ' ἀρχέπλουτον καὶ καταστάτην δόμων (sc. στέλλετε = ποιεῖτε). OEd. Col. v. 1132 : πῶς σ' ἂν ἄθλιος γεγὼς θιγεῖν θελήσαιμ' ἀνδρός, ᾧ τίς οὐκ ἔνι κηλὶς κακῶν ξύνοικος; οὐκ ἔγωγε σέ (sc. θελήσαιμ'

ἂν θιγεῖν ἐμοῦ). Οὐδ' οὖν ἐάσω (sc. εἰ αὐτὸς βούλοιο θιγεῖν). Similiter, ib. v. 1189 :

> Ἔφυσας αὐτόν· ὥστε μηδὲ δρῶντά σε
> τὰ τῶν κακίστων δυσσεβέστατ', ὦ πάτερ,
> θέμις σέ γ' εἶναι κεῖνον ἀντιδρᾷν κακῶς,
> ἀλλ' αὐτόν (pro σαυτόν, sc. δρῴης ἂν κακά),

tibi ipsi malum inferes, si lectio hujus loci sincera.

Interdum ex voce vel prægressa vel subsequente eruenda est alia vox ex eadem stirpe repetenda, sed poterit esse pars orationis diversa, El. v. 1075 : Ἠλέκτρα τὸν ἀεὶ πατρός (sc. στόνον. Hermannus vult : χρόνον) στενάχουσα. OEd. Col. v. 552 : ἔχει δέ μοι πρὸς δίκας τι (sc. δικαίωμα.)

Omittitur substantivum πληγή post verba feriendi vel pungendi, Antig. v. 1292 : τί μ' οὐκ ἀνταίαν ἔπαισέν τις; El. v. 1407 : παῖσον, εἰ σθένεις, διπλῆν. Sed audacissima ellipsis verbi σκοπεῖν, El. v. 1295 : (σκόπει) οὕτως δ' ὅπως μήτηρ σε μὴ 'πιγνώσεται φαιδρῷ προσώπῳ, qua ratio redditur constructionis insolentioris δεῖ σ' ὅπως = δεῖ σε σκοπεῖν, ὅπως, qua bis terve usus est Sophocles.

Brachylogia cernitur in pronomine interrogativo τίς, sæpissime duas sententias, vel etiam duas interrogationes in unam contrahente (vide exempla apud Ellendt. II, p. 824) et in dicendi genere, quod confusum appellare placuit viris doctis. Sed hoc quum magis ad attractionem pertinere videatur, quando ad hanc ventum erit, tractabitur.

Brachylogiæ species quædam notissima zeugma est, cujus exempla habes apud Sophoclem hæc : Trach. v. 352 : ὡς τῆς κόρης ταύτης ἕκατι κεῖνος Εὔρυτόν θ' ἕλοι, τήν θ' ὑψίπυργον Οἰχαλίαν (sc. πέρσειεν). Trach. v. 237 : ὁρίζεται βωμοὺς τέλη τ' ἔγκαρπα Κηναίῳ Διΐ. El. v. 176 : Οὔτε γὰρ παῖς Ἀγαμεμνονίδας ἀπερίτροπος, οὔθ' ὁ παρὰ τὸν Ἀχέροντα θεὸς ἀνάσσων (sc. λήσμων). El. v. 427 : Ἀλλ' ἤ πνοαῖσιν (δὸς) ἢ

βαθυσκαφεῖ κόνει κρύψον νιν, ἔνθα, etc. OEd. Col. v. 461 : τῇδε μὲν πόλει μέγαν σωτῆρ' ἀρεῖσθε, τοῖς δ' ἐμοῖς ἐχθροῖς πόνους (sc. δώσετε). OEd. Col. v. 1009 : Τί προστάσσεις; Ὁδοῦ κατάρχειν τῆς ἐκεῖ, πόμπον δέ με χωρεῖν (sc. δέδοκται). Sed in postremo exemplo attractionem agnoscere possis.

§ 7. DE ATTRACTIONE.

Quum syntaxi grammaticæ græcæ maxime sit peculiaris attractio, quid mirum, poetam, qui ut quis maxime nationis suæ indolem refert, sæpissime ea esse usum? Difficilior autem hujus idiomatis tractatio ea de causa videri potest, quod frequentissime aliis idiomatis, velut brachylogiæ, confusioni cuidam structurarum, hyperbato admixtum invenitur. At quotiescunque non ambitiosius a poeta quæsitum est, quod hic illic in nostri fabulis accidit, hoc agere videtur, ut ex una pluribusve propositionibus velut totum unumque efficiat, quod undequaque simile sibi ac par sit.

Quum ab omnibus scriptoribus maxime usurpetur pronominis relativi attractio (Phil. v. 945 : θανὼν παρέξω δαῖτ' ὑφ' ὧν ἐφερβόμην, vel Tr. 443 : Οὗτος γὰρ ἄρχει καὶ θεῶν ὅπως θέλει, κἀμοί γε, πῶς δ' οὔ, χἀτέρας οἵας γ' ἐμοῦ), a Sophocle amatur ea, quam attractionem *inversam* appellant grammatici. OEd. Col. v. 1150 : λόγος δ' ὃς ἐμπέπτωκεν ἀρτίως ἐμοὶ στείχοντι δεῦρο (sc. τούτου) συμβάλου γνώμην. Tr. v. 283 : τάσδ' ἅσπερ εἰσορᾷς... ἥκουσι πρός σε. OEd. R. v. 449 : τὸν ἄνδρα τοῦτον, ὃν πάλαι ζητεῖς... οὗτός ἐστιν ἐνθάδε. Tr. v. 151 : τότ' ἄν τις εἰσίδοιτο... κακοῖσιν οἷς ἐγὼ βαρύνομαι. Similiter in adverbiis, Trach. v. 702 : ἐκ δὲ γῆς, ὅθεν προὔκειτο. Antig. v. 517 : εἰ κάτωθεν εὐαγῆ τάδε (an *illinc* hæc probentur); et cum attractione inversa, OEd. Col. v. 1229 : βῆναι κεῖθεν, ὅθενπερ ἥκει. Nec non in præpositionibus, El. v. 135 : Ἀλλ' οὔτος τόν γ' ἐξ Ἀΐδα παγκοίνου λίμνας πατέρ' ἀνστάσεις (pro : οὐ τὸν ἐν Αἴδου ἐξ Αἴδου ἀναστήσεις).

Casuum attractionis sunt quædam exempla apud Sophoclem, Aj. v. 570: *μητρί τ' Ἐριβοίᾳ λέγω*, ubi pæne adverbii vices agit verbum *λέγω*, velut apud Æschylum in Armorum judicio: *Ἀλλ' Ἀντικλείας ἆσσον ἦλθε Σίσυφος, τῆς σῆς λέγω τοι μητρός.*

Notabilis maxime est attractio apud vocativum, Aj. v. 71: *Οὗτος, σὲ τὸν τὰς αἰχμαλώτιδας χέρας δεσμοῖς ἀπευθύνοντα προσμολεῖν καλῶ· Αἴαντα καλῶ.* Ib. v. 680: *ὦ Πάν, Πὰν ἁλίπλαγκτε* (*mari trajecto*) *φάνηθι.* Phil. v. 671, ubi quum Neoptolemus exclamasset: *ἰὼ δύστηνε σύ*, respondet Philoctetes: *δύστηνε δῆτα διὰ πόνων πολλῶν φανείς.*

Quum in eadem propositione verbum finitum juxta verbum infinitum positum invenitur, inter omnes Græcos maxime Sophocles substantivum non, ut putaveris, ex verbo infinito, sed ex verbo finito pendere facit[1]. Hujus structuræ exempla hæc sunt:

1. Exempla verbi finiti cum participio juncti, El. v. 47: *ἄγγελλε δ' ὅρκῳ προστιθείς.* Antig. v. 23: *Ἐτεοκλέα μέν, ὡς λέγουσι, σὺν δίκῃ χρησθεὶς δικαίᾳ καὶ νόμῳ κατὰ χθονὸς ἔκρυψε.* Phil. v. 54: *λόγοισιν ἐκκλέψας λέγων.*

2. Exempla verbi finiti cum infinitivo juncti, El. v. 1269: *μή μ' ἀποστερήσῃς τῶν σῶν προσώπων ἡδονὰν μεθέσθαι* (*ἀποστερεῖν τινά τι* et *μεθέσθαι τινός*). Phil. v. 62: *οὐκ ἠξίωσαν τῶν Ἀχιλλείων ὅπλων ἐλθόντι δοῦναι.* Antig. v. 490: *κείνην... ἐπαιτιῶμαι τοῦδε βουλεῦσαι τάφου.*

Attractio est, quum adjectivo res effecta pro re efficienda denotatur, unde nascitur prolepsis omnibus poetis, at maxime certe Sophocli frequentata. Ut ex sexcentis nonnulla exempla proferamus, OEd. Col. v. 1200: *τῶν σῶν ἀδέρκτων ὀμμάτων τητώμενος.* Trach. v. 107: *οὔποτ' εὐνάζειν ἀδακρύτων βλεφάρων πόθον* (sc. *ὥστε ἀδάκρυτα εἶναι*). Sic *ἀνάστατον* (Trach. v. 240), *διήνεμος*, (ib. v. 327,) *πολύφθορος*, (ib. v. 477,) *θοὰν νύμφαν ἄγαγες*,

[1] Kühner, II, p. 609.

(ib. v. 857,) ῥεῖ πᾶν ἄδηλον, (ib. v. 698,) πολύμοχθος, (OEd. Col. 1221,) ἀποστρόφους αὐγὰς ἀπείρξω, (Aj. v. 69), κενῆς σκύμνον λεαίνης, (ib. v. 965,) ἃ τὸν μέγαν Πάκτωλον εὔχρυσον νέμεις, (*quæ Pactolum auro fecundas*, Phil. v. 393,) γονέων ἐκτίμους ἴσχουσα πτέρυγας ὀξυτόνων γόων, (El. v. 235,) ἡλίου σέλας ἑῷα κινεῖ φθέγματ' ὀρνίθων σαφῆ (ib. v. 18, *ut claræ sint*). Ἐρείσατ', ὦ παῖ, πλευρὸν ἀμφιδέξιον (ὥστε... ἀμφιδέξιόν μοι γίγνεσθαι, OEd. Col. v. 1194). Εὔαγρον τελειῶσαι λόχον, (ib. v. 1079).

Sed fit interdum, ut quum impersonalem in personalem constructionem converterit poeta, non adjectivum verbo, sed verbum adjectivo attrahatur[1]. OEd. R. v. 673: στυγνὸς μὲν εἴκων δῆλος εἶ. Aj. v. 326: δῆλός ἐστιν ὥς τι δρασείων κακόν. Aj. v. 635: κρείσσων παρ' Ἅιδᾳ κεύθων ὁ νοσῶν μάταν.

Attractionem temporum deprehendere sibi visi sunt critici, Phil. v. 1380: εἴ σέ γε πείσειν δυνησόμεσθα μηδὲν ὧν λέγω, quam etiam in futuro verbi βούλομαι (βουλήσομαι), quo sæpius usus est Sophocles, agnoscere possis, Aj. v. 666: ἔς τε τὸν φίλον τοσαῦθ' ὑπουργεῖν ὠφελῶν βουλήσομαι, ὡς αἰὲν οὐ μενοῦντα.

Inter particulas maxime notandus apud Sophoclem attractivus usus conjunctionum ὡς et ὥστε[2]. OEd. R. v. 625: ὡς οὐχ ὑπείξων οὐδὲ πιστεύσων λέγεις. Antig. v. 242: δηλοῖς δ' ὥστε σημανῶν νέον. Phil. v. 563: ὡς ταῦτ' ἐπίστω δρώμεν' οὐ μέλλοντ' ἔτι (notandum asyndeton cum hyperbato). Ib. v. 253: ὡς μηδὲν εἰδότ' ἴσθι μ' ὧν ἀνιστορεῖς. Ib. v. 413: ὡς μηκέτ' ὄντα κεῖνον ἐν φάει νόει. Sic OEd. R. v. 955, Phil. v. 58, El. v. 870, etc. Insignis locus, OEd. Col. v. 552, ubi intra quatuor versus semel ὥστε, ὡς et ὥσπερ vero utrumque bis positum invenitur.

Sæpe attractione duæ propositiones in unam conflan-

---

[1] Bernhardy, *Wissenschaftliche Syntax*, p. 467.

[2] Kühner, II, p. 375.

tur, quod sic fieri potest, ut in enuntiationem principalem, aut pars accidentis transgrediatur, Trach. v. 97: Ἅλιον αἰτῶ τοῦτο καρῦξαι τὸν Ἀλκμήνας, πόθι μοι, πόθι παῖς ναίει, aut etiam integra in eam migret, Aj. v. 885: Τίς.. τὸν ὠμόθυμον εἴ ποθι πλαζόμενον (pro πλάζεται), λεύσσων ἀπύοι; Ib. v. 480 : ἔφυν πατρὸς εἴπερ τινὸς σθένοντος ἐν πλούτῳ Φρυγῶν (pro πατρὸς σθένοντος, εἴπερ τις ἔσθενεν). Aj. v. 1395: τῷ πάντ' ἀγαθῷ, κοὐδενί γ' ᾧτινι λῷονι θνητῶν, pro καὶ οὗ οὐδεὶς ὅστις λῴων ἦν θνητῶν. Aj. v. 522: χάρις χάριν γάρ ἐστιν ἡ τίκτουσ' ἀεί.

Sed potest etiam propositione incidente absorberi propositio principalis aut integra, aut certe pars ejus. Pars ejus absorbetur in attractione pronominis relativi, Aj. v. 1044 : τίς δ' ἔστιν, ὅντιν' ἄνδρα προσλεύσσεις στρατοῦ (pro τίς δ' ἀνήρ ἐστιν); Ib. v. 596 : ἐγὼ δ' ὁ τλάμων παλαιὸς ἀφ' οὗ χρόνος... μίμνω (pro παλαιὸς χρόνος ἐστὶν ἀφ' οὗ ἐγώ, etc.). Phil. v. 491: ὃν δὴ πάλαι ἂν ἐξ ὅτου δέδοικ' ἐγώ, μή μοι βεβήκῃ. Integra, quod rarissimum est, Tr. v. 1228: ἀνὴρ ὅδ', ὡς ἔοικεν οὐ νέμειν ἐμοὶ φθίνοντι μοῖραν. Antig. v. 736 : ὅδ' ὡς ἔοικε τῇ γυναικὶ ξυμμαχεῖν.

Latissime patet aliud attractionis genus, quod duarum constructionum confusionem videtur continere, ideoque a grammaticis nonnunquam separatim tractatur. Exempla sunt: Tr. v. 1057: θῆλυς οὖσα κοὐκ ἀνδρὸς φύσιν (οὐκ ἀνὴρ φύσιν οὖσα et οὐκ ἀνδρὸς φύσιν ἔχουσα). Ib. v. 717 : ἰὸς αἵματος μέλας (αἵματος μέλανος et μέλας αἵματι). Ib. v. 1255: ψυχὰ σκληρὰ χάλυβος. Aj. v. 244: θοὸν εἰρεσίας ζυγὸν ἑζόμενον ποντοπόρῳ ναῒ μεθεῖναι, pro ἐν τῷ θοῷ ζυγῷ ἑζ. εἰρεσ. μεθ. τῇ νηΐ. OEd. Col. v. 1755 ἱ:τίνος, ὦ παῖδες, χρείας ἀνύσαι; ubi multi χρείαν. Ib. v. 377 : Ἤδη γὰρ ἔσχες ἐλπίδ', ὡς ἐμοῦ θεοὺς ὤραν τιν' ἕξειν, ὥστε σωθῆναί ποτε (ὡς θεοὶ ἐμοῦ ὤραν τιν' ἕξοιεν et ἐμοῦ θεοὺς ὤραν τιν' ἕξειν,) et sexcenta alia.

§ 8. DE HYPERBATO.

Nulla orationis figura tantopere a Sophocle frequentata est, quam hyperbaton, quo nihil potest efficacius inveniri ad dictionem ornandam et a vulgari hominum sermone discriminandam. Multum vero ponderis additur voci, quæ sic ex verborum ordine exemta, in illustriore enuntiationis loco ponitur, Aj. v. 187: Ἀλλ' ἀπερύκοι καὶ Ζεὺς κακὰν καὶ Φοῖβος Ἀργείων φάτιν. OEd. Col. v. 864: Ἀλλ' ἄξω βίᾳ κεἰ μοῦνός εἰμι τόνδε, καὶ χρόνῳ βραδύς. Ib. v. 1218: βῆναι κεῖθεν, ὅθενπερ ἥκει, πολὺ δεύτερον, ὡς τάχιστα. Tr. v. 511: ὁ δὲ Βακχείας ἄπο ἦλθε παλίντονα Θήβας τόξα καὶ λόγχας ῥόπαλόν τε τινάσσων. Lenior videtur esse transpositio in his, El. v. 1056: βουλῆς γὰρ οὐδέν ἐστιν ἔχθιον κακῆς (pro ἐστὶν οὐδέν), lenissima autem, quum enuntiationis altera pars post commune utrique parti membrum infertur, Aj. v. 651: οἰκτείρω νιν χήραν παρ' ἐχθροῖς παῖδά τ' ὀρφανὸν λιπεῖν (pro νὶν χήραν παῖδά τε ὀρφανὸν λιπεῖν π. ἐχθ.). Trach. v. 809: Τοιαῦτα πατρὶ βουλεύσας ἐμῷ καὶ δρῶσ' ἐλήφθης. Ib. v. 1113: καὶ ζῶν κακούς γε καὶ θανὼν ἐτισάμην.

Inter hyperbata referenda est positio, cui nomen est διὰ μέσου, Antig. v. 533: Καὶ ξυμμετίσχω... καὶ φέρω... τῆς αἰτίας. OEd. Col. v. 1320: ὅς μ' ἐξέωσεν... κἀπεσύλησεν... πάτρας. Tum figura, quam ὕστερον πρότερον grammatici vocant, cujus illustrissimum exemplum suppeditant, Trach. v. 235: Ἔγωγέ τοί σφ' ἔλειπον ἰσχύοντά τε καὶ ζῶντα καὶ θάλλοντα. Nimirum Lichas, ut gaudium de prospera Herculis fortuna declaret, effusius ac minus accurate loquitur. Dubia auctoritate nititur alterum prothysteron, OEd. R. v. 827: ἔφυσε κἀξέθρεψε simillimum homerico, Odyss. M', v. 134: τὰς μὲν ἄρα θρέψασα τεκοῦσά τε πότνια μήτηρ, etc.

Violentiora hyperbata in duobus Trachiniarum lo-

cis mihi agnovisse videor, v. 366.: ὡς τάσδε πέμπων οὐκ ἀφροντίστως, γύναι, οὐδ' ὥστε δούλην pro οὐκ ἀφροντίστως (sc. αὐτὴν) πέμπων ὡς τάσδε, οὐδ' ὥστε δούλην. Ib. v. 1225: τὸ μὲν νοσοῦντι θυμοῦσθαι κακόν pro τὸ μὲν θυμοῦσθαι κακὸν νοσοῦντι, de quibus lectorem benevolum notulas meas ut adeat precor.

Sed violentissimum est idque valde frequens hyperbaton, quod annominatione adducitur, maxime in pronomine αὐτός, OEd. Col. v. 920: Σὺ δ' ἀξίαν οὐκ οὖσαν αἰσχύνεις πόλιν τὴν αὐτὸς αὑτοῦ, etc. Ib. v. 1346: τὸν αὐτὸς αὑτοῦ πατέρα τόνδ' ἀπήλασας, sed etiam in aliis vocibus, OEd. R. v. 175: ἄλλον δ' ἂν ἄλλῳ προσίδοις pro ἄλλον πρὸς ἄλλῳ ἴδοις. Aj., v. 1175: κακὸς κακῶς ἄθαπτος ἐκπέσοι χθονός, ac fortasse in pronomine πᾶν, El. v. 1009: ἀλλ' ἀντιάζω, πρὶν πανωλέθρους τὸ πᾶν ἡμᾶς τ' ὀλέσθαι κἀξερημῶσαι γένος.

At frequentissima certe est transpositio particularum. Præpositionum quidem in interrogatione postpositarum, ni fallor, duo tantummodo exstant exempla apud Sophoclem, Trach. v. 746: τοῦ παρ' ἀνθρώπων μαθών; OEd. R. v. 525: τοῦ πρὸς δ' ἐφάνθη. Sic ποῦ in interrogatione postponitur, El., v. 1425: εἰσορᾶτε ποῦ τὸν ἄνδρα; At notabilis particulæ ἔτι positus cum negatione conjunctæ apud Sophoclem hyperbaton efficiens, Phil. v. 1205: ἔτ' οὐδέν εἰμι. Trach. v. 161: ὡς ἔτ' οὐκ ὤν. OEd. R. v. 24: πόλις... ἀνακουφίσαι κάρα βύθων ἔτ' οὐχ οἵα τε.

Tum infinitus numerus est hyperbatorum, quæ cernuntur in positione particularum δέ (Tr. v. 809: ἐπεύχομαι δέ, ubi v. notam nostram. Antig. v. 99: ἄνους μὲν ἔρχει, τοῖς φίλοις δ' ὀρθῶς φιλή. Aj. v. 613, etc., etc.), γέ, imprimis τέ, μέν, καί, μή, de qua re lectorem ad Ellendtii lexicon ablegare satis sit. Sophocleus usus esse videtur particulæ ἄρα, quæ secundum propositionis locum obtinere solet, longius ab initio positæ, OEd. R. v. 1099,

Aj. v. 925, Phil. v. 975, Aj. v. 1005, El. v. 935, 1185. Sic γάρ quintum locum tenet, Phil. v. 1437: καιρὸς καὶ πλοῦς ὅδ' ἐπείγει γὰρ κατὰ πρύμναν. Ἀλλά interdum postponitur, tumque adverbii instar dictum ad unum vocabulum referendum est, Phil. v. 1030: τίσασθε, τίσασθ' ἀλλὰ τῷ χρόνῳ ποτέ. Trach. v. 200: ἔδωκας... ἀλλὰ σὺν χρόνῳ χαράν. Cf. ib. v. 319, Antig. v. 548, 775, El. v. 403, 407, 1001, OEd. Col. v. 1278. Sæpius etiam recurrit ὅμως dictum ὑπερβατῶς, Aj. v. 15: ὡς εὐμαθές σου κἂν ἄποπτος ἧς ὅμως, φώνημ' ἀκούω. OEd. Col. 961: ἐπεὶ ἐρημία με κεῖ δίκαι' ὅμως λέγω, σμικρὸν τίθησι, ac præsertim cum participio, Tr. v. 1105: σιγὴν παρασχὼν κλῦθί μου νοσῶν ὅμως = καίπερ νοσῶν, ὅμως κλῦθι. OEd. Col. v. 855: ὑφ' ὧν ἐγὼ ταχθεὶς τάδ' ἔρδω, καὶ τύραννος ὢν ὅμως = καίπερ τύραννος ὤν, ἔρδω ὅμως. — Similiter atque ὅμως adverbium μόνον construitur apud Sophoclem, OEd. Col. v. 780: τοσοῦτον, ἐνθανεῖν, μόνον. Antig. v. 772: προθεὶς τοσοῦτον, ὡς ἄγος, μόνον.

Trajectio adverbii ἀεί imprimis Sophoclea est: Trach. v. 1063: ἀλλ' ἀστένακτος αἰὲν ἑσπόμην κακοῖς. OEd. R. v. 901: τὰν σὰν ἀθάνατον αἰὲν ἀρχάν. Aj., v. 1166: τὰν ἄπαυστον αἰὲν ἐμοί... ἄταν, etc.

Articuli vel pronominis demonstrativi longius a substantivo, cui junguntur, remotorum exempla sunt hæc: Phil., v. 371: ὁ δ' εἶπ' Ὀδυσσεύς. Aj. v. 767: ὁδ' εὐθὺς ἐξ ἕδρας πέμπει μέ σοι φέροντα τάσδ' ἐπιστολὰς Τεῦκρος. OEd. R. v. 1171: ἡ δ' ἔσω κάλλιστ' ἂν εἴποι σὴ γυνή. Trach., v. 1050: οἷον τόδ' ἡ δολῶπις Οἰνέως κόρη καθῆψεν ὤμοις τοῖς ἐμοῖς Ἐρινύων ὑφαντὸν ἀμφίβληστρον. Tum notandum, quamvis hoc non in hyperbati provinciam veniat, etiam in fine interdum versus articulum poni, sed ita, ut vel sequente vel præcedente distinctione ultima prioris versus pars et insequens sensu et recitatione proxime colligentur. Articuli sic positi tria apud Sophoclem exempla leguntur, OEd. Col.,

v. 352, Phil., v. 263, Antig., v. 404[1]. Nec non exempla aliqua occurrunt pronominis personalis in fine propositionis et in versus initio positi, Aj. 514 : Ἐμοὶ γὰρ οὐκέτ' ἐστὶν εἰς ὅ τι βλέπω, Πλὴν σοῦ. Antig., v. 234: Τέλος γε μέντοι δεῦρ' ἐνίκησεν μολεῖν Σοί. Phil., v. 1052: Νικᾷν γε μέντοι πανταχοῦ χρῄζων ἔφυν Πλὴν ἐς σέ, in quibus verborum collocatione magna vis pronomini additur.

§ 9. DE CONSTRUCTIONE κατὰ τὸ σημαινόμενον.

Quum docta Sophoclis ars insolentiora quærat, rariora pervulgatis præferat, constructionem, quam κατὰ τὸ σημαινόμενον vocant, ei familiarissimam esse, neminem mirum habebit. Sic, quum idiotismo omnibus et ipsi Sophocli usitato dicatur τελευτὴν τελεῖν (Trach., v. 79), quando τελευτήν exspectabis, subinde in λύσιν incides, Tr. v. 1170 : ἔφασκε μόχθων τῶν ἐφεστώτων ἐμοὶ λύσιν τελεῖσθαι : et quoniam trita locutio est χάριν εἰδέναι, item ἀγνωμοσύνην εἰδέναι finxit Sophocles (Tr., v. 1266-1267). Quum Menelaus de Ajacis sorte verba facit hæc : ἡμεῖς μὲν ἂν τήνδ', ἣν ὅδ' εἴληχεν τύχην, Sophoclem versu insequente ἐλάχομεν positurum esse speras, sed aliter ab eo continuatur oratio : θανόντες ἂν προὐκείμεθ' αἰσχίστῳ μόρῳ. Similia sunt Tr. v. 455 : ὅπως δὲ λήσεις, οὐδὲ τοῦτο γίγνεται, ubi in verbo γίγνεται latet verbum curandi. Ejusdem verbi notionem subaudire debebis in his : δεῖ σ' ὅπως (Aj. v. 553, Phil. v. 55), χάριν πρόσθες, ὡς (Trach. v. 1247), αὐτὰ ταῦτα πράσσω ὅπως (ib. 599).

Sed frequentissimæ sunt casuum, quos verbum regit permutationes. Sic contra grammaticæ regulas cum genitivo construuntur : ἐντυγχάνειν (Phil. v. 1317), συντυγχάνειν (Phil. v. 320), propter simplicis τυγχάνειν analogiam ; μαλάσσεσθαι (Phil. v. 1318), ut verbum cessandi, φεύγειν (OEd. Col. v. 1034, Phil. v. 1044), ἀλύσκειν (El. v. 617, Antig. v. 485), ἀποσυλᾶν

[1] Lexicon Sophocl. edidit Ellendt., II, p. 249.

propter juxtapositum ἐξωθεῖν (OEd. Col. v. 1332), ὠφελῶν = ποιῶν ἀπολαῦσαι (OEd. Col. v. 437), παριέναι (παρεὶς τοῦ μετρίου, OEd. Col. v. 1202), εἰσορᾷν (Trach. v. 393), ἐμπελασθῆναι (constructum ut θιγεῖν, τυχεῖν, Tr. v. 17), ἐμβαίνειν (OEd. R. v. 825), et περᾷν θυμοῦ pro περᾷν θυμόν, constructum ut πέρα (OEd. R. v. 674), στρέφεσθαι et ὑποστρέφεσθαι, constructa ut φροντίζειν (OEd. R. v. 728, Aj. v. 1117), λαχεῖν, participem fieri (Antig. v. 695, v. 364).

Insolentius cum accusativo junguntur: Πελάζειν, loco dativi (Phil. v. 1148), ἀφορμᾷν (OEd. Col. v. 1403), ἐξελθεῖν (Tr. 505), αἰχμάζειν et ἀΐσσειν χέρα, quæ ut verba transitiva construuntur, ἐμπίπτειν (OEd. Col. v. 946), μοῖραν ποεῖσθαι τινά = ἔν τινι μοίρᾳ ποιεῖσθαί τινα (OEd. Col. v. 278), εἰκάθειν (OEd. Col. v. 1318, 1168) ut verbum transitivum: μῆνιν βαρεῖαν εἰκάθειν ὁρμωμένῳ), ξυστᾶσα constructum ut συνάψασα (Tr. v. 28), ἐπισκήπτειν dativi loco (Trach. v. 1216), προσκυρεῖν, loco dativi (OEd. R. v. 1298), ψαύειν, genitivi loco (Antig. 853, 951, ψαύων τὸν θεὸν ἐν κερτομίοις γλώσσαις), φαίνεσθαι κέλευθον, pro ἥκειν (Aj. v. 865, El. v. 1273), ψεύδεσθαι, constructum ut ἀποστερηθῆναι (Aj. v. 176), etc.

Cum dativo: τρύχειν accusativi loco (OEd. R. v. 666), εἰσβῆναι (Tr. 177, ἐμοὶ γὰρ δεινὸς οἶκτος εἰσέβη), εἰσελαύνειν (Antig. v. 1225[1]), προσπτύσσεσθαι, loco accusativi (Antig. v. 1222), ἀκούειν, loco genitivi (El. v. 228), etc.

Cum præpositione: φοβεῖσθαι, ἀμφινοεῖν εἴς τι ut βλέπειν εἴς τι (OEd. R. v. 980, Antig. v. 372), καθῆσθαι ἐκ πάγων, ut κρεμάννυσθαι, (Antig. v. 407), ἕπεσθαι ἐν et ἕπεσθαι σύν (El. v. 28, Trach. v. 560) et multa alia.

Tum maxime Sophocleæ est poeseos, medium reponere ubi activum, activum ubi medium exspectares. Exempla medii insolenter pro activo usurpati ex multis hæc sunt:

Ποθουμένᾳ φρενί, pro ποθούσῃ (Tr. v. 103), insequente

---

[1] Kühner, II, 603, not.

πόθον (non enim reformidabant poetæ græci intra paucorum versuum intervallum eamdem vel similem vocem repetere), σκοπουμένοις, ὁρωμένοις (Tr. v. 296, 306), προὐδιδάξατο (Tr. v. 682), εἰσορωμένη (Trach. v. 910), ὀνομάζομαι (OEd. R. v. 1021), στέλλεσθαι (OEd. R. v. 434), αὐδᾶσθαι (Aj. v. 758), ἐξίστασθαί τινα ὄκνῳ (Aj. v. 82), καλεῖσθαι, invocare (Phil. v. 228), ἐδιδάξατο, *excogitavit*, loco passivi (Antig. v. 354), τεχνοῦσθαι (OEd. Col. v. 624), ᾄσσεται (ib. v. 1251), et sexcenta alia.

Activum medii loco repositum invenitur in his : προσέμιξεν (Phil. v. 106, Tr. v. 818), ἐκφέρειν (Tr. v. 821, OEd. Col. v. 1424), κεύθειν, (OEd. R. Tr. v. 968, El. v. 856, Aj. v. 622), αὔξειν (OEd. R. v. 1092), προσάψει (OEd. R. v. 668), δηλοῦν sensu passivo (Antig. v. 467 : δηλοῖ τὸ γέννημ' ὠμὸν ἐξ ὠμοῦ πατρὸς τῆς παιδός. Aj. v. 852 : ὡνὴρ οὐδαμοῦ δηλοῖ φανείς), ἐφιέναι, ἀνιέναι (Aj. v. 248, Phil. v. 764, vide Lobeck.[1]), ἐφάπτειν (Trach. v. 937), φέρειν, *consequi* (El. v. 1079), ἐναυλίζω (Phil. v. 33), προσφέρειν (Phil. v. 1096), κρύπτειν (El. v. 313), κυκλεῖν (ib. v. 1357) τὸ φέρον τοῦ θεοῦ = τὸ φερόμενον (OEd. Col. v. 1691), φέροντα = φερόμενον (ib. v. 6), φέροις = φέροιο (ib. v. 641), συμβάλλειν (OEd. Col. v. 891 : ἔνθα δίστομοι μάλιστα συμβάλλουσ' ὁδοί), etc.

§ 10. DE IIS, QUÆ EXQUISITIUS, PRESSIUS, PLENIUS A SOPHOCLE DICTA SUNT.

Ab difficultatibus et quasi spinis, quibus obsita est syntaxis Sophoclea, paullatim ad eas devenimus, quæ in ipsa poetæ mente sedem habent, audacius excogitata et dicta exquisitius ubique usitatis tritioribusque præferentis. Sic quum boni poetæ sit, etiam inanima animare, Sophocles, ubicunque ei licuit, personalem et activam constructionem impersonali substituit. Itaque

[1] In editione Ajacis v. ἀνιέναι.

κρείσσων, ἴσος, ἐμφανής, πρέπων, δίκαιός εἰμι quam κρεῖσσον, δίκαιόν ἐστι, πρέπει τινὰ c. inf. constructa reponere maluit. Quare ἄκων quod nonnisi de personis dici solet, de re usurpatur a Sophocle pro ἀκούσιος, OEd. Col. v. 981 : τό γ' ἆκον πρᾶγμα. Ib. v. 240 : ἔργων ἀκόντων ἀΐοντες αὐδάν. Sic bene OEdipus de facinoribus a se admissis dicit : τά γ' ἔργα μου πεπονθότ' ἐστι μᾶλλον ἢ δεδρακότα. Sic locutionem γεννᾷν μέγα σῶμα (Aj. v. 1066) invenit, quum hominis, qui magno corpore utitur, mentio fit (cf. de pleonasmo).

Sed etiam alia nove et subtiliter et plenius dicuntur a Sophocle. Sic αἱματόεν (Antig. v. 524) non sanguinis, sed rubentis coloris sensum induit, sic ἀμφίγυος (Trach. v. 563), quod proprium ancipitium armorum vocabulum est, de rivalibus adhibetur. Συνθνήσκειν (Phil. v. 1429) non *simul occumbere*, sed *simul cum mortuo ad inferos descendere* significat. Nimis exquisite etiam dicuntur nymphæ ἑκατόμποδες (OEd. Col. v. 722) *bis quinquaginta*, sed excusari videtur epitheton simili Pindari (Nem. VIII, 81) locutione qui de diaulo percurrendo hæc dicit : δὶς δυοῖν ποδοῖν. Sic δρόμου δ' ἰσώσας τῇ φύσει τὰ τέρματα nimis subtiliter prædicatur de Oreste, quod digne statura sua cursum peregit. Jam quid de his Trachiniarum locis erit dicendum, quibus Sophoclis hoc subtilitatis studium maximas tenebras offudit? Trach. v. 331 : μηδὲ λύπην πρός γ' ἐμοῦ λύπης λάβοι, et v. 912 : καὶ τὰς ἄπαιδας ἐς τὸ λοιπὸν οὐσίας, de quibus in editione nostra exposuimus.

De sexcentis nonnulla tantum seligamus hujus, quam diximus, subtilitatis ac prægnantiæ exempla. Antig. v. 88 : θερμὴν ἐπὶ ψυχροῖσιν καρδίαν ἔχεις, *callidum cor in rebus horrorem incutientibus habes*. OEd. Col. v. 870, ὄμμα ψιλόν, oculus *precarius*, qui male bonorum oculorum aciei, qua se privarat OEdipus, vice fungitur. Proprie de levis armaturæ militibus dicitur ψιλός. Τροφὴ

οἰκοποιός (Phil. v. 32), *utensilia* quibus locus in modum domus instruitur. Ἀγχίαλος (Aj. v. 135), proprie de insula mari circumfusa; sed Athenienses simul de minimo intervallo, quo mare Salaminem ab Attica discriminat, cogitare debebant. Πάμψυχος (El. v. 831), *integra mente præditus*, πανάμερος (Trach. v. 657), sensu novo : πάντως τῇδε τῇ ἡμέρᾳ. Φέρειν bis apud Sophoclem sensum habet : *facere sustinere* (OEd. Col. v. 512 : ἤνεγκον ἄκων et ib. v. 952-954). Συμφέρειν, συνοίσειν (Aj. v. 425, Phil. v. 623 et passim) primitivo significatu : *simul ferri*, id est : convenire, in eadem sententia esse. In παραφέρειν (OEd. Col. 1671) et παρείρειν (Antig. v. 369), παρά habet significatum conversionis in pejus, qui his verbis alias non inesse solet. Δόντι δοῦναι (v. 664, coll. οὐ δοθήσεται πλὴν σοί τε κἀμοί, v. 763), plene dicta sunt, ita ut sensum habeant : *dare ac reddere vicibus alternis*. Sic habes θέλων et θέλειν, hic illic : *non invitum aliquid facere* significantia, OEd. Col. v. 747 : πεισθεὶς ἐμοὶ θέλησας ἄστυ καὶ δόμους μολεῖν (fr. *te laissant conduire*). Phil. v. 1327 : συγχώρει θέλων. Cf. OEd. Col. v. 581.

Subtiliter ἀνήρ et πόσις sibi opponuntur, Tr. 551 : μὴ πόσις μὲν Ἡρακλῆς ἐμὸς καλεῖται, τῆς νεωτέρας δ' ἀνήρ (alias ἀνήρ etiam de homine in universum usurpatur); sic οὐδέν et μηδέν, Aj. v. 1210 : ὅτ' οὐδὲν ὢν τοῦ μηδὲν ἀντέστης ὕπερ, ubi μηδέν de mortuo, οὐδέν autem injuriosius de eo, qui in nullo numero est, dicitur. At maxime notanda subtilis quædam in vocibus μέτοικος et αὐτόνομος plenitudo. Nam quum μετοικία sit media quædam inter cives exterosque conditio, proprio sensu de eo dixit Sophocles, qui solum mutat (μετά, οἶκος), Antig. v. 860 : πρὸς οὓς ἄδ' ἐγὼ μέτοικος ἔρχομαι. Ib. v. 881, μετοικίαν τῶν ἄνω. Ad sensum politicum propius accedit, OEd. Col. v. 938 : εἰ μὴ μέτοικος τῆσδε τῆς χώρας θέλεις εἶναι. Sic quum chorus (Antig. v. 820) Antigonæ sortem beatam prædicaret, quod nec morbo consumpta, nec belli jure

serva facta (ita enim explicuimus ἐπίχειρα ξιφέων λαχοῦσ', quæ alicui præmium gladii, id est belli sorte evenit) supremum diem obiret, etiam hoc adjicit: αὐτόνομον eam in Orcum descendere. Et quoniam αὐτόνομος de eo usurpari solet, qui *sui juris* est, optime hoc adjectivum locutioni, qua captivitas et exsilium significantur, oppositum esse videatur; sed, quod statim sequitur μόνη, simul aliam notionem eo contineri patet hanc: *tuo*, qui *tibi* proprius est, *ritu*, *tua tibi peculiari lege*. Similiter αὐτόχειρ et *a se* et *a suis* cæsum significat, quod patefit loco, Antig. v. 1160: Αἵμων ὄλωλεν· αὐτόχειρ δ' αἱμάσσεται. Quæ quum nuntius dixisset, respondet chorus: πότερα πατρῴας ἢ πρὸς οἰκείας χερός; Sic αὐτοσφαγής eadem ambiguitate adhibetur, Aj. v. 827. Duæ notiones *permittendi* et *remittendi* miscentur in verbo παριέναι (OEd. Col. v. 576: τὸ σὸν γενναῖον ἐν σμικρῷ λόγῳ παρῆκεν, ὥστε βραχέα μοι δεῖσθαι φράσαι), quod elucet e particula ὥστε, quæ e verbo *permittendi* apta esse non potest (vide notulam in edit. nostra). Βλέποντας (Aj. v. 266) pressius est dictum de iis, qui non falsa specie decepti, recte oculis utuntur. (Cf. Æsch. Choeph. v. 844, πῶς αὖτ' ἀληθῆ καὶ βλέποντα δοξάσω;) Μῆλα de pecoribus in universum (Aj. v. 1040) adeoque de *feris* usurpatur in Peleo, ubi hæc exstant: πᾶν μῆλον θηρῶντα (sc. Ἀχιλλέα). Τόξα de arcu et sagittis (Ellendt. II, p. 846). Quum pædagogus in certaminis equestris descriptione Orestis mentionem injiciens, ὑστέρους πώλους eum habere dicit, (El. v. 734) hoc significat, eum et serius quam ceteri e cancellis cum bigis esse profectum, et ultimum ea de causa locum tenuisse. Sic superlativus ὑστάτη singulariter usurpatum invenitur, Trach. v. 1251. Item prægnans est locutio qua in eadem oratione utitur pædagogus: δέκατον ἐκπληρῶν ὄχον (v. 698), in quibus et hic sensus inest: *decimum currum occupans*, et hic: *decem curruum numerum explens*.

Hæc dictionis Sophocleæ subtilitas ac plenitudo a Goethio in Iphigeniæ suæ scena illa, qua Orestes a sorore de Electræ et Clytæmnestræ sorte interrogatur, tam admirabiliter expressa, aliquatenus tamen, omnibus Græcis communis est, suntque voces quædam, propter ancipitem sensum, μέσαι appellatæ. Hujus generis sunt: ἐλπίζειν, (suspenso animo esse, i. e. 1, sperare; 2, metuere. Aj. v. 786, Trach. v. 111 : κακὰν δύστανον ἐλπίζουσαν αἶσαν), ξυμφορά, (eventus i. e. 1, res prosperæ; 2, res adversæ), etc., etc.

§ 11. DE ALIIS QUIBUSDAM SOPHOCLIS IDIOTISMIS.

Initium videtur esse faciendum a vocabulis aliquibus, sive verba, sive substantiva, sive adjectiva sunt, quibus lubentissime usus est Sophocles, ut ei familiariora et cæteris quasi cariora facta esse putaveris. Hujuscemodi sunt omnium maxime τρέφειν cum compositis et derivatis (ἀνατρέφειν, τροφή), ἐρᾷν, ἐραστής, ἔρως, στέργειν, ἴσος, ἴσως, ἰσοῦν, ἐξισοῦν, φαίνω, φανερός, ἐμφανής, ἐναργής, ἄσκοπος, κλέπτειν, (λόγους, σφαγάς, furtim facere), particip. ἰών, etc., etc. Alia in una alterave ejus fabula inveniuntur, ut ἄροτος (pro anno) et ἄφαρ in solis, ni fallor, Trachiniis.

Adjectivum τάλας, semel apud Sophoclem cum gaudio exclamantis esse videtur, OEd. Col. v. 317 : (Τάλαινα), ubi miseram se vocat Antigone, quum Ismenen sororem e longinquo conspicit. Sic φεῦ gaudentis est, Phil. v. 234 : Ὦ φίλτατον φώνημα· φεῦ τὸ καὶ λαβεῖν πρόσφθεγμα τοιοῦδ' ἀνδρὸς ἐν χρόνῳ μακρῷ, et in fragm. Tymp. : φεῦ... ὑπὸ στέγης πυκνῆς ἀκοῦσαι ψεκάδος εὐδούσῃ φρενί.

Sæpius pronomine possessivo utitur poeta, ut animi affectus vehementius exprimat, ut Antig. v. 569 : Ἄγαν γε λυπεῖς καὶ σὺ καὶ τὸ σὸν λέχος. El. v. 1110 : Οὐκ οἶδα τὴν σὴν κληδόν'. Phil. v. 1251 : τὸν σὸν (quem tu mihi incutere vis) οὐ ταρβῶ φόβον. Etiam pronominis indefiniti

in interrogatione notandus est peculiaris apud Sophoclem usus, OEd. Col. v. 66: ἄρχει τις αὐτῶν ἢ 'πὶ τῷ πλήθει λόγος; Trach. v. 867: Τί φημί; *aliquidne*, id est *verumne dico?* At propius ad prosariam dictionem accedit usus pronominis demonstrativi generis neutrius τοῦτο, ταῦτα, masculini vel feminini loco indefinite positi, quem in solis sibi Trachiniis poeta indulsit (v. 1235 et 676).

Inter præpositiones ἐν Sophocleo idiotismo insignis est, primum quod in tmesi adverbiasçit, OEd. R. v. 27: ἐν δ' ὁ πυρφόρος θεὸς ἐλαύνει. Ib. v. 183: ἐν δ' ἄλοχοι ἐπιστενάχουσιν. Aj. v. 660: ἐν δ' ὁ παγκρατὴς ὕπνος λύει πεδήσας. Antig. v. 416: ἐν δ' ἐμεστώθη μέγας αἰθήρ, ac sensum præbet, *in medio;* tum quod cum pleonasmo quodam dativo simplici adjicitur, ut in Antig. v. 760: ἐν ὀφθαλμοῖς ὁρῶν (Coll. Tr. v. 240 et 740: βαρεῖαν ξυμφορὰν ἐν ὄμμασιν πατρὸς δεδορκώς). Similiter dicta sunt hæc, Antig. v. 990: σπῶντας ἐν χηλαῖσιν ἀλλήλους. El. v. 1130: ἐν ξέναισι χερσὶ κηδευθείς, etc., etc. Locum significantius indicat præpositio, causam instrumentumque indicasset nudus dativus. Pari modo σύν usurpatur, Antig. v. 670: ἥδε σὺν μάχῃ δορὸς τροπὰς καταῤῥήγνυσι. Ex antiquo more sæpe præpositionum ὑπό vel πρός locum tenet apud Sophoclem, OEd. Col. v. 67, 737, El. v. 885, 1629, Philoct. v. 335[1]. Præpositio ἀπό quum originem indeque separationem denotet, sæpius in significationem *contrarii* vel *privationis* apud Sophoclem abiisse videtur, cujus prima vestigia in Electra inveniuntur, v. 140-141: Ἀλλ' ἀπὸ τῶν μετρίων ἐπ' ἀμήχανον ἄλγος ἀεὶ στενάχουσα διόλλυσαι, (*relicta temperantia*). Ibid. v. 1116: ἀπ' ἐλπίδων. OEd. Col. v. 904: ἀπὸ ῥυτῆρος, *sine frenis*. Tr. v. 388: οὐκ ἀπὸ γνώμης.

Maximum esse verborum *decompositorum*, quibus Sophocles utitur, numerum, jam Lobeckius adnotave-

---

[1] Bernhardy, *Wissenschaftliche Syntax*, p. 228.

rat. Nonnulla de sexcentis excitare satis sit : ἐπεισπίπτειν, ἐπεμπίπτειν, συγκατοικτίζω, ὑπεκτρέπειν, ἐπεντύνειν, ἐξεπάδεσθαι, ἀπαναιρεῖσθαι, συμπαρίστασθαι, προσεμβαίνειν, ἐξανευρίσκειν, ἐξεπεύχεσθαι, ἐπεμβαίνειν, ἐκκατανύειν, (OEd. Col. v. 1558 cum nota Hermanni) ἐξαπιδεῖν, ib. v. 1648 (schol., ἴδιον αὐτοῦ πολλαῖς κεχρῆσθαι ταῖς προσθέσεσιν), ἐξανιστάναι, συνεκσώζειν, et cum tmesi primæ præpositionis, Aj. v. 948: πῶς δῆτα τοῦδ' ἐπεγγελῷεν ἂν κάτα; et El. v. 831 : κατ' ἐμοῦ τακομένας μᾶλλον ἐπεμβάσει.

Item magnus numerus est compositorum eorum, quæ primo membro præpositiones πρό et ξύν, vel αὐτός, vel πᾶν habent. Quorum illa, quæ cum πρό composita sunt, eo sunt notabilia, quod præpositio suam vim tenet, nec amittit, ut sæpius fit apud alios scriptores ; exempli gratia : προτιμᾷν (Tr. v. 722), προδιδάσκειν (ib. v. 752), προτίειν (Antig. v. 21), προκλαίειν (Tr. v. 964), tum προδείδειν (ἅπαξ λεγ.), προφαίνεσθαι, προκήδεσθαι, προδεικνύναι, πρόνοια (OEd. R. v. 978), etc.

Vocabula cum αὐτός composita : αὐθέντης, αὐτάδελφος, αὐτόγνωτος, αὐτοκτονεῖν, αὐτόνομος, αὐτόχειρ, αὐτογέννητος, αὐτόπρεμνος, αὐτοσφαγής, quorum plurima in Antigona leguntur.

Vocabula cum πᾶν composita, sæpius subtiliori significatu insignia : πανδίκως, πάγκλαυτος, πανάμερος, παννύχιος, πάγκαρπος, πανώλεθρος, παντελής, πάνδυρτος, πάνσυρτος, πάμψυχος, πάμπολις, πάμμηνος, πάμφλεκτος, etc., etc.

Innumerabilia verba sunt cum præpositione σύν composita, quorum ea tantummodo, quæ Sophocli consuetiora sunt, apponere libet : ξυμφέρειν, ξυντρέχειν (*convenire, eodem redire*), ξύναυλος, (cf. ξύμφρουρος), σύμμετρος, συγγενής, ξυνών (χρόνος, quam quisagit ætatem), συνθνήσκειν, συνέχθειν, συμφιλεῖν, συνάπτειν, συλλύειν, συνθέλειν, συνήδεσθαι, συγκομίζεσθαι, σύμφωνα (sc. δεξιώματα), ξυμπονεῖν, συνεργάζεσθαι, συμμαθεῖν (Aj. v. 856), etc., etc.

E contrario sæpe noster formas analyticas syntheticis prætulit, quod non solum de locutionibus, ἀτιμάσας ἔχω vel δεδορκώς εἰμι (Kuehner, II, § 416, 4) dictum velim, quæ omnibus tragicis multisque pedestribus auctoribus communes sunt, nec de celebratissimo illo narrationum initio, et historicis et jam Homero proprio: ἔστι νῆσος, ἦν δ' ἀνήρ, *est locus*, etc., sed de aliis quibusdam, quæ in solum fere Sophoclem cadunt. Talia sunt γόους ἔχειν pro γοᾶσθαι, σπάνιν ἔχειν = σπανίζεσθαι (OEd. Col. v. 497), λῆστιν ἔχειν τι (OEd. Col. v. 590) = λανθάνεσθαι, δέος ἴσχετε (= δεδοίκατε) μηδέν, ὅσ' αὐδῶ (ib. v. 223), μνήμην ἔχειν τι (ib. v. 501), ταφεὺς γένῃ (ib. v. 572), σημάντωρ γενοῦ = σήμανον (OEd. R. v. 957), θυτὴρ σταθείς = θυσάμενος (Trach. v. 1187). Sic ἐραστὴς ἔφυν, μαστὴρ πατρὸς ὃς πρὶν ᾤχετο (Trach. v. 733) et similia sæpissime apud Sophoclem occurrunt. Sed rarior et exquisitior est ea, quam interdum frequentavit per τίθεσθαι circumscriptio, Tr. v. 988: λώβαν τίθεσθαι = λωβᾷν. OEd. Col. v. 1141: ἔθου μῆκος λόγων = ἔλεξας πολλά. Ib. v. 547: ἔθου φόνον = ἐφόνευσας, etc., etc.

Postremo memoratu dignum esse videtur vocabula quædam rariora, Sophocli hic illic, maxime vero in Trachiniis usurpata, in Rheso occurrere. Talia sunt: πανδίκως (Tr. v. 608, 1237, OEd. Col. v. 1308), ἄτρακτος (Rhes. v. 308), διαφέρειν, sensu *vivendi*, Aj. v. 506: παῖδα, εἰ νέας τροφῆς στερηθεὶς σοῦ διοίσεται μόνος, coll. Rheso v. 982: ἄπαις διοίσει.

§ 12. DE SOPHOCLIS OBSCURITATE.

Quum doctum illud et artificiosum Sophoclis dicendi genus nullam non admittat anomaliam, sæpe obscuritate impeditum sit et quasi involutum oportet. Sed de talibus, quippe quæ ad grammaticen pertineant, obscuritatis Sophocleæ causis quum in precedentibus dispu-

tatum fuerit, videamus num poetæ tragici et imprimis noster quandoque de industria tenebras narrationi offundant. Ac certe parum perspicue in OEdipo Coloneo de OEdipi interitu loquitur Sophocles sive verecundia sive quod rem nesciret, sive quod in re dubia maximo audientium animos terrore percelli haberet perspectum. Sic Electra in fabula cognomine (v. 568) linguæ favet, quum superbam, quam Agamemno contra Dianam emiserat, vocem (ἔπος τι) silentio premit.

Interdum, quum de immani quodam, quod etiam proferri nefas est, facinore agitur, religiosus poeta id verbo significare, quam illustrius indicare mavult. Sic in incesto OEdipi et Jocastæ matrimonio, OEd. Col. v. 935 :

Οὐδ' ὅτῳ γάμοι
ξυνόντες εὑρέθησαν ἀνόσιοι τέκνων,

et paullo infra, v. 972 :

Ἔτικτε γάρ μ' ἔτικτε (ὤ μοί μοι κακῶν)
οὐκ εἰδότ' οὐκ εἰδυῖα,

tum in OEdipo Rege, v. 214 : *γάμον ἄγαμον τεκνοῦντα καὶ τεκνούμενον*, et v. 1364 : *ὁμογενὴς δ' ἀφ' ὧν αὐτὸς ἔφυν τάλας*, ubi *ὁμογενής* insolenter etiam activo sensu dictum esse, ut v. 460 *ὁμόσπορος*, ab Hermanno adnotatum est. Insigne est quæsita illa obscuritate terribile Tiresiæ vaticinium v. 424 :

Ἄλλων δὲ πλῆθος οὐκ ἐπαισθάνει κακῶν,
ἅ σ' ἐξισώσει σοί τε καὶ τοῖς σοῖς τέκνοις,

ubi etiam annominatio multum facit ad animos horrore imbuendos. Locum sic verterim : *Tu tibi et liberis æquabere*. Cur liberis, manifestum : liberorum enim frater est, quum eadem, atque ipsi, matre utatur. Sed etiam sibi æquabitur, quum quæ apud alios homines diversa sunt, ut non idem possit iisdem filius et pater (quia matris maritus) videri, hæc in eo æquata apparebunt.

Similis implicatio in Electræ loco v. 489 : Ἄλεκτρ' ἄνυμφα γὰρ ἐπέβα μιαιφόνων γάμων ἁμιλλήμαθ' οἷσιν οὐ θέμις, ubi ἁμιλλήματα de cohabitatione intelligendum, verbo οἷσιν autem sola Clytæmnestra innuitur. Aoristum ἐπέβα jamdudum ad furiam, in scelera adulterorum irruentem retulimus (vide editionem nostram, p. 204). Jam, quia in lumine illo sublustri versari ac fabulas suas collocare amat poeta, accidet aliquoties, ut quando sincere et simpliciter loqui videbitur, subrepat vox ambigua ac velut præsaga futuri, velut in Trachiniis, quum nondum perspecta Nessi fraude chorum eam auguratum esse dixeris (v. 662) : Τᾶς πειθοῦς παγχρίστῳ συγκραθεὶς ἐπὶ προφάσει θηρός. In verbo προφάσει enim sensus inesse videtur : *suasu maligno.*

Sæpe nimia animi perturbatione fit, ut obscurius cogitationem declarent interlocutores, velut Philoctetes mali impetu correptus, quum ne ab Neoptolemo deseratur, metuens exclamat (v. 758) :

Ἥκει γὰρ αὕτη διὰ χρόνου πλάνοις ἴσως
ὡς ἐξεπλήσθη,

qui locus, bis positis aliquibus propositionis membris, luce meridiana clarior evadet : ἥκει γὰρ αὕτη διὰ χρόνου πλάνοις ἴσως (ἐκπλησθησομένη), ὡς (ἧκε καὶ) ἐξεπλήσθη.

Electra, fratrem luce frui, certior facta, quum mortuum esse credidisset, tanto gaudio effertur, ut confusius certe loqui putanda sit, v. 1280-1282 (de quibus versibus vide edit. nostram), idemque judicandum erit de duobus Antigonæ locis :

V. 307 : Οὐχ ὑμῖν Ἅδης μοῦνος ἀρκέσει, πρὶν ἂν
ζῶντες κρεμαστοὶ τήνδε δηλώσηθ' ὕβριν,

non sola morte defungemini, id est etiam aliis pœnis afficiemini :

V. 483 : Ἀλλ' εἴτ' ἀδελφῆς, εἴθ' ὁμαιμονεστέρας
τοῦ παντὸς ἡμῖν Ζηνὸς Ἑρκείου κυρεῖ,

sed sive ex sorore prognata est, sive ex conjunctiore mihi, quam esse potest soror, muliere; quasi exstet propinquior cognationis gradus, quam sororis. Sed intemperantius loquitur Creon, ut iram verbis expleat.

Interdum subtilius rem exprimit Sophocles, ut acumen Atheniensium exercere voluisse diceres, propositis in medium quibusdam dialectices quasi ænigmatis. Ad ejuscemodi obscuritatem digitum intendit Hermannus in Philocteta, v. 897. Neoptolemus, quum fraudem, quam contra Philoctetem machinatur, dissimulare nequeat, hæc dicit :

Δεύτερον ληφθῶ κακός,
κρύπτων θ' ἃ μὴ δεῖ καὶ λέγων αἴσχιστ' ἐπῶν;

quæ ita vertit Hermannus : *Iterumne deprehendar malus, semel, quum vera celavi; nunc autem aperte dicendo, quod turpe est?* Nam in eo est Neoptolemus, ut jam non celare rem velit, sed confiteri : id autem turpe esse videt, quia verum dicendo non potest non fidem Philoctetæ datam fallere.

Alterum talis obscuritatis exemplum in Ajace deprehendimus inde a versu 263, ubi verum ænigma a Tecmessa possis credere et proponi et solvi. Nam quum ex choro quæsivisset, utrum, data optione, eligeret, contristansne amicos ut ipse lætus ageret, an communibus afflictaretur malis, respondissetque chorus, gravius esse hoc geminum malum; itaque nos, inquit illa, etsi morbo caremus, premimur tamen infortunio. Quorum sensum chorus non assecutus : Quid hoc, inquit, dicti est? non enim, quid vis, intelligo. Tum demum nodum expedit Tecmessa (v. 269-275), quam, quasi gavisus subtilitate sua Sophocles, sic oratione defungi facit :

Ἆρ' ἔστι ταῦτα δὶς τόσ' ἐξ ἁπλῶν κακά;

Nimium profecto hujus generis ambagibus ejus temporis Athenienses delectabantur, quum in Tecmessa, non tam mariti sortem plorante, quam argutiis immorante, non offenderent.

Ex pluribus, quæ restant, unum hoc Electræ locum adjicere satis sit. Quum res jam eo adducta esset, ut Orestes se ad occidendam matrem accingeret, ex pædagogo quærit, gauderetne mater falso de filii morte nuntio allato. Tum ille (v. 1343) :

> Τελουμένων, εἴποιμ' ἂν· ὡς δὲ νῦν ἔχει,
> καλῶς τὰ κείνων πάντα, καὶ τὰ μὴ καλῶς.

Bene se habent omnia, quod ad illos, etiam quæ non bene, id est opportuna nobis omnia sunt, etiam scelestum de morte Orestis gaudium, ex eoque summa securitas.

§ 13. DE SOPHOCLIS IRONIA.

Duplex est ironiæ hujus tantopere a recentioribus criticis laudatæ ratio, aut in solis factis, aut simul in verbis posita. Quomodocunque vero eam considerabis, artis Sophocleæ cumulum et quasi apicem esse apparebit. Erumpit enim tum maxime, quum ad summum fastigium evectus fabulæ cursus jam in eo est, ut in contrarium vertat (περιπέτεια) et ad exitum inclinet. Antequam enim fati decreta, vel, si hoc mavis, deorum voluntas rata fiat, interdum per breve temporis momentum sive fabulæ interlocutor præcipuus, sive chorus, falsa bonæ fortunæ specie delusi et res prospere cedere arbitrantes incredibili lætitia efferuntur. Quod evenire videmus, quum Ajace ad littus, ut se occidat, profecto, chorus præ gaudio choreas ducit, eum cum diis Atridisque in gratiam rediturum ratus; vel in Trachiniis, quum Lichas multa præda multisque capti-

vis mulieribus adductis salvum esse Herculem Dejaniræ nuntiat ædesque maxima lætitia exsiliunt; vel quum Clytæmnestra, falso de filii morte nuntio allato, se adulterumque ab omni periculo omnibusque insidiis tutos fore sperat, imminente jam ac mox irruente pernicie. Alias verba temere emissa in ejus, qui ea emisit, caput ex insperato recidunt. Cujus generis est tota illa OEdipi Regis fabula, in qua quum OEdipus statim initio Laji occisorem, quisquis fuerit, ab omnium civium domicilio arceat, eique aqua et igni interdicat, non videt, mox in se redundaturam esse hanc calamitatem. Similiter Creon, quum in Antigone (v. 470, sqq.) pertinaces obstinatosque animos maxime frangi dixisset haud multo post verissime etiam de se hoc prædicasse eventu edoctus est. Sic miserrima Dejanira, quo philtro sibi Herculis amorem conciliaturam esse sperabat, eo se et maritum perdidit, fataque cunctantia imprudens maturavit.

Sed ut, quod magis nostræ provinciæ est, ad ironiam in verbis positam pergamus, non morabimur ea quæ acerbius quam doctius et callidius dicta sunt, velut τὸν ἀγαθὸν Κρέοντα (Antig. v. 31), vel τοῦτο τἀγαθὸν λαβεῖν, vel τὸν δίκαιον (OEd. Col. v. 982), vel quæ magis argutiarum quam ambiguitatis speciem præ se ferunt, velut ἕρκη (El. v. 834), quod simul de monili, quo corrupta Eryphile Amphiaraum prodidit, et de insidiis in universum videtur usurpatum esse.

Vera Sophoclea conspicitur ironia in dicto Ajacis (v. 552):

Ἐν τῷ φρονεῖν γὰρ μηδὲν ἥδιστος βίος,

quæ quum ipse de puerili ætate omni dolore vacua dixisse putat, de se suaque dementia dicit. Beatus enim sibi esse videbatur Ajax, quum mente captus falsa triumphi specie delusus, gauderet: at simulatque resipuit, in

summam desperationem adductus est. Tum sermo ille, quem, ut mortem sibi consciscat, discessurus, cum choro confert, una est ironia, una eaque continua dissimulatio, de qua re exposuimus in dissertatione nostra de Sophoclis Ajace[1]. Loci maxime ambigui hi sunt (v. 645-691) :

Ἀλλ' εἶμι πρὸς τὰ λοῦτρὰ καὶ παρακτίους
λειμῶνας, ὡς ἂν λύμαθ' ἁγνίσας ἐμὰ
μῆνιν βαρεῖαν ἐξαλεύσωμαι θεᾶς,

quæ chorus de sincera Ajacis cum Minerva reconciliatione, Ajax de obitu suo intelligit.

De sui ipsius occisione, ni fallor, dicta sunt verba : Κρύψω τόδ' ἔγχος τοὐμόν, collatis locis, v. 882 : κρυφαίῳ φασγάνῳ περιπτυχής, et v. 1003 : πῶς σ' ἀποσπάσω πικροῦ τοῦδ' αἰόλου κνώδοντος. Quum in eo esset, ut sponte sua e vita exiret, recte se diis cedere, recte etiam Atridis imperatoribus dicere poterat :

Τοίγαρ τὸ λοιπὸν εἰσόμεσθα μὲν θεοῖς
εἴκειν· μαθησόμεσθα δ' Ἀτρείδας σέβειν·
ἄρχοντές εἰσιν, ὥσθ' ὑπεικτέον· τί μή;

Jam quis non ad mortem ab Ajace sibi consciscendam tres postremos hujus orationis versus pertinere intelligat, quos de ejus salute accepisse chorum, extra omnem dubitationem est positum :

Ἐγὼ γὰρ εἶμ' ἐκεῖσ' ὅποι πορευτέον·
ὑμεῖς δ' ἃ φράζω, δρᾶτε καὶ τάχ' ἄν μ' ἴσως
πύθοισθε, κεἰ νῦν δυστυχῶ, σεσωσμένον.

Similia amphiboliæ exempla in Electra exstant. Quum Clytæmnestra occisa Ægisthus redux ex Electra quæsivisset, ubinam essent hospites, qui nuntium de Orestis morte attulissent : « Namque id tibi, inquit, maxime

---

[1] Patin, I, p. 375.

curæ cordique esse opinor, » respondet Electra (v. 1440):

> Ἔξοιδα. Πῶς γάρ οὐχί; συμφορᾶς γὰρ ἂν
> ἔξωθεν εἴην τῶν ἐμῶν τῆς φιλτάτης,

in quibus duplex ambiguitas conspicitur et substantivi συμφορᾶς, et adjectivi τῆς φιλτάτης, quæ dum Ægistho de morte carissimi fratris dicta videri vult, ipsa sortem in mente habet sibi cupide expetitam fratris et vivi et reducis et vindicis scelerum. Ægistho iterum, ubi hospites sint, interrogante,

> Ἔνδον, inquit illa, φίλης γὰρ προξένου κατήνυσαν,

quæ ita accepit Ægisthus, quasi significent : *confecerunt* (iter) *ad amicam hospitem;* sensum autem Electra vult esse hunc : *confecerunt* (*rem*) *contra* amicam hospitem. Sed quum omnia, quæ in hoc colloquio cum Ægistho verba facit Electra ironia quasi diffluant, quod omnes norunt qui semel tantum hunc locum aspexerunt, singulos versus non morantes, finem spectemus. Quum Ægisthus fores pandi, omnibusque Argivis Orestis corpus exhiberi jubeat, Electra dicit :

> Καὶ δὴ τελεῖται τἀπ' ἐμοῦ. Τῷ γὰρ χρόνῳ
> νοῦν ἔσχον, ὥστε συμφέρειν τοῖς κρείσσοσιν.

Satis sit Hermanni interpretationem excitare : « Ambiguitas est et in prioribus verbis, et in illo τοῖς κρείσσοσιν. » Ipsa enim fores aperire putanda est, idque Ægistho videri debet dicere his verbis : καὶ δὴ τελεῖται τἀπ' ἐμοῦ; sed chorus et spectatores hoc eam dicere, velle sciunt effectum esse, quantum in ea fuerit, ut insidiis circumveniret Ægisthum. Idem Ægisthus τοὺς κρείττονας se et Clytæmnestram dici putet necesse est, quos chorus Oresten et Pyladen significari novit.

Reliqui sunt ter quatuorve in Philocteta loci, qui

duplicem habent intellectum. Philoctetes enumeratis omnibus, quos exantlaverat, laboribus, quum plures quidem ad Lemnum appulisse, ac levia quædam dona, miseria sua motos, esse largitos, neminem autem molestiam se in patriam reducendi suscipere voluisse, narrasset choro ex græcis advenis composito, anceps responsum tulit (v. 317):

Ἔοικα κἀγὼ τοῖς ἀφιγμένοις ἴσα
ξένοις ἐποικτείρειν σε, Ποίαντος τέκνον.

Videtur enim Philoctetæ miseratione tactus esse, sed spectatores, idem eum facturum quod alii fecerant, ut quamvis miserti, tamen nihil opis ferrent, probe intelligunt.

Postquam Neoptolemus e Philoctetæ manibus celeberrimum Herculis arcum accepit, utque bonam ejus curam gereret, ab eo oratus esset (v. 763):

Θάρσει, inquit, προνοίας γ' οὕνεκ', οὐ δοθήσεται
πλὴν σοί τε κἀμοί,

quæ Philoctetes dici putat tanquam ab amico, qui suum arcum religiosissime custodire velit, quum spectatores sentiant Neoptolemum gaudere, quod potiatur arcu, nec se temere arma, quibus sit Trojam capturus, alii permissurum dicere.

Eadem ambiguitate proferuntur versus 768-770 : ὦ θεοί, γένοιτο ταῦτα νῷν, etc., nec non ille (v. 801),

Ὡς οὐ θέμις γ' ἐμοῦστι σοῦ μολεῖν ἄτερ,

quo Neoptolemus trepidantem Philoctetem, ac ne morbi causa in insula relinqueretur verentem, componere et sedare studet. Sed dum Philoctetes eum de boni viri officio loqui putat, ille oraculum in mente habet, quod sine Herculis arcu Trojam non expugnatum iri cecinerat.

§ 14. NUM HOMERI IMITATOR FUERIT SOPHOCLES QUÆRITUR.

Quum inter omnes veteres criticos Sophoclem fuisse ὁμηρικώτατον convenisset, hac re permotus Henricus Stephanus[1] celebratissimæ hujus imitationis vestigia in multis poetæ nostri locutionibus, cogitatis, sententiis deprehendere sibi visus est. At vereor, ne re subtilius, quam fas est, explorata ad nugas quandoque et quisquilias delapsus sit. Nam ut quædam continuo ex Homero manasse concedamus, velut ναίειν pro ναίεσθαι, εὐσεβίας ἐπιβαίνοντες (cf. homericum ἀναιδείης, εὐφροσύνης ἐπιβῆναι), quibus adjicere possis τινάκτορα γαίης (Trach. v. 503, coll. Iliad. I', v. 58), ἡμέραν ἐπίπονον (Trach. v. 655, collato homerico νόστιμον, ἐλεύθερον ἦμαρ), epicum adjectivi φίλος usum, OEd. Col. v. 179 : ἐς χέρα σῶμα σὸν προκλίνας φίλον. Trach. v. 1092 : ὦ φίλοι βραχίονες : ἀνήρ pro τις usurpatum (El. 45 : παρ' ἀνδρὸς Φανοτέως ἥκων, cum nota Hermanni, Iliad. E', v. 649 ; Λ', v. 738 ; Π', v. 716) ; tum formulas quasdam leviter immutatas, velut OEd. Col. 1103 : ἐμφύντε τῷ φύσαντι, quod est ad homericum : ἐν δ' ἄρα οἱ φῦ χειρί, conformatum, OEd. Col. v. 1382 : στήσω σ' ἄγων, collato Il. B', v. 558, στῆσε δ' ἄγων, et alia quædam, num tam minutæ exiguæque orationis particulæ poematis filum et succum mutare, ne dicam conficere possunt? Atqui sæpissime, quum mutuatur aliquid ab Homero, Sophocles, iis novo ac singulari quodam modo utitur, ad quam rem in constructione verborum ἀνύειν et ἁρμόζειν digitum intendimus[2]. Pessime autem fecit Stephanus, quum locutiones : ξυρεῖ γὰρ ἐν χρῷ, collato homerico : νῦν γὰρ δὴ

---

[1] Henrici Stephani tractatus de Orthographia quorumdam vocabulorum Sophocli cum cæteris tragicis communium, p. 88, sqq.

[2] V. edit. mea Trach. v. 658, 731.

πάντεσσιν ἐπὶ ξυρῷ ἵσταται ἀκμῆς, Ζεὺς κτυπῶν, πάμβωτις (comparato adjectivo homerico βωτιάνειρα), χρυσόνωτον ἥνιαν (comparatis verbis Ἄρτεμιν χρυσήνιον), quæ partim in communem Græcorum usum abierant, partim ita erant comparatæ, ut unusquisque Græcorum, ne nato quidem Homero, eas invenire potuisset, ex studio et imitatione Homeri manasse affirmat.—Tum hoc ridicule, quod pleonasmos quosdam (ὁ κατθανὼν νέκυς, ὁ κατὰ χθονὸς νέκυς, τυμβεῦσαι τάφῳ (collatis homericis, νέκυες κατατεθνειῶτες, et καταφθίμενοι), vel tritissimum illum ac notissimum transitum a plurali numero ad singularem ab Homero sumsisse putat Sophoclem. Quod idem Euripidi æmulo et aliis quibusdam accidisse fateri coactus est.

Quid dicam de homericarum sententiarum imitatione? Quum Sophocles scripserit: ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα κοὐκ ὀνήσιμα, num cui ante oculos habuisse videatur hunc versum:

Ἐχθρὰ δέ μοι τοῦ δῶρα, τίω δέ μιν ἐν καρὸς αἴσῃ?

Quum Teucrum Salaminios suos facit cohortantem: μὴ γυναῖκες ἀντ' ἀνδρῶν πέλας παρίστατε, num quis homericum illud: Ὤμοι ἀπειλητῆρες, Ἀχαιΐδες, οὐκέτ' Ἀχαιοί, expressisse contendat? Quid si Stephanus, Sophoclem duobus his senariis

.... Κενὸν γὰρ οὐ δίκαιά σε
χωρεῖν προσελθόντ' ὧδε σὺν πολλῷ στόλῳ,

versum celebratissimum respexisse censet:

Αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν, κενεόν τε νέεσθαι?

Quis credat Stephano, ita Homeri vestigia Sophoclem premere videri, ut dicendi genus omnibus Græcis commune ac pervulgatum, quo idem νόημα bis infertur, primum affirmative, tum negative, ex. gr., γνῶτα κοὐκ

ἄγνωτα, vel (Ajax. v. 289) ἄκλητος, οὐδ' ὑπ' ἀγγέλων κληθείς, vel ἡδὺς οὔτε μητρὶ δυσχερής, etc., ab Homero mutuatus fuerit, excitato versu:

Ἕκτορ, ἐπεί με κατ' αἶσαν ἐνείκεσας, οὐδ' ὑπὲρ αἶσαν.

Jam nemo miretur, sententias quasdam ac locos communes, tritissimos, qui tum in omnium ore versabantur, ab illo nobis ut tralatitios homericos vendi, quippe qui eo processerit temeritatis, ut Homeri hemistichia quædam poematis suis inserere non dubitasse Sophoclem pro certo affirmare audeat, ex quibus hoc nuncupat: Ὤμοι ἐγώ, τί πάθω;

Sed longum est, omnia, quæ male ab illo pro Sophoclea Homeri imitatione disputantur, perlustrare. Nimirum Homerum, litterarum græcarum omnino auctorem ac quasi patrem esse a nemine hodie, opinor, ignoratur. Quem ita dilexerunt, ita in sinu gestarunt Græci, quippe poesi ejus a puero imbuti et innutriti, ut eam libri sacri instar colerent, totamque memoria comprehensam tenerent. Jam recte Cicero, ut, si qui in sole ambulent, etiamsi aliam ob causam ambulent, fieri tamen natura dicit, ut colorentur, sic si qui scripta vel poetæ vel historici studiosius legerint, ipsorum orationem hujus quasi tactu colorari. Quod multis iisque summis poetis legendo et ediscendo Homero accidisse certum est. Attamen minus de verbis et locutionibus cogitarunt veteres critici, quum quos Homeri æmulos appellabant, quam de moribus hominum secundum naturam depingendis, et vivida quadam rerum et affectuum adumbratione. Ita quum primas Homero semper deferrent, secundas sæpissime Archilocho tribuerunt, cui præter Homerum, plurimum esset sanguinis et nervorum [1]. Stesichorus a Longino [2] ὁμηρικω-

---

[1] Velleius, I, v. Quintil., X, 1, 59.

[2] Longin. περὶ Ὕψους, XIII, 3.

τατος est dictus, adstipulante Dione Chrysostomo[1]. Nec refragatur Quintilianus[2], qui quod personis in agendo simul loquendoque *debitam dignitatem* reddidisset, si tenuisset modum, proximum Homeri æmulum appellari potuisse censet. Quid, quod Crantor[3] omnium auctorum longe primos Homerum et Euripidem esse existimavit, λέγων ἐργῶδες ἐν τῷ κυρίῳ ἅμα καὶ συμπαθῶς γράψαι? Nonne ipse Æschylus[4] fabulas suas magnarum Homeri epularum frustula esse dicebat? Sic Sophocles castigata quadam temperataque sublimitate omnis poeseos normam ac regulam Homerum æquasse a veteribus creditus est, quare et Homeri ζηλωτής appellatur, et Polemo[5] Homerum Sophoclem epicum, Sophoclem Homerum tragicum dicere solebat. Nec non in eadem sententia est auctor Vitæ, qui hæc tradit : Ἠθοποιεῖ δὲ καὶ ποικίλλει καὶ τοῖς ἐπινοήμασι τεχνικῶς χρῆται, Ὁμηρικὴν ἐκματτόμενος χάριν· ὅθεν εἰπεῖν φασιν Ἰωνικόν τινα, μόνον Σοφοκλέα τυγχάνειν Ὁμήρου μαθητήν, ac paulo infra eum et rerum et temporum scite rationem habere (συμμετρῆσαι) sæpeque parvulo hemistichio unaque sententia personæ mores exprimere (ἠθοποιεῖν) docet. Scilicet non cum imitatoribus iis res est nobis, quos servum pecus Horatius nominat, sed cum summis veteris Græciæ ingeniis, quæ Homerum exemplo sibi esse etiam in honore ponebant.

Fatendum tamen erit, habere illum, qualiscunque est, Stephani libellum aliquam a similitudine argumen-

---

[1] II, p. 284. Τοῦτό γε ἅπαντές φασιν οἱ Ἕλληνες Στησίχορον Ὁμήρου ζηλωτὴν γενέσθαι καὶ ἐοικέναι κατὰ τὴν ποίησιν.

[2] X, I, 62.

[3] Diog., IV, XXVIII.

[4] Athenæus, VIII, 347, e. Τοῦ καλοῦ καὶ λαμπροῦ Αἰσχύλου, ὃς καὶ τὰς αὑτοῦ τραγῳδίας τεμάχη εἶναι ἔλεγε τῶν Ὁμήρου μεγάλων δείπνων.

[5] Diog., IV, XX.

torum, quæ inter Homerum ac Sophoclem intercedit, excusationem. Nam quum totius tragœdiæ principium et nodus in eo, quem mythum vocant, situs sit[1], mythus autem, ab epica poesi repetendus, maxime in troicis rebus, fabulisque, quæ cum his cohærent, nitatur, omninoque Homerus ab ipso Platone parens tragœdiæ sit appellatus, nihil mirum, tragicos in eadem qua ille materia versatos, sæpe videri eum imitando exprimere voluisse. Quod eo frequentius evenire necesse erat, quo magis tragœdia, quum initio argumenta quælibet percensuisset ac tractasset, ad paucarum familiarum fata, ut quæque maxime hominum vel misericordiam vel metum excitare putabantur, se convertebat exponenda[2]. At præcipue Sophoclem argumenta ab Homero et poetis cyclicis sumsisse et veterum testimonia et ipsarum fabularum tituli evincunt[3]. Præterea in personarum moribus et indole effingendis, ita epicæ poeseos implesse traditur vestigia, ut eam non reformasse sed in senarios transtulisse atque in formam speciemque tragœdiæ redegisse videatur, cujus rei locupletem testem habemus auctorem Vitæ : Τὸ πᾶν μὲν οὖν Ὁμηρικῶς ὠνόμαζε, τούς τε μύθους φέρει κατ' ἴχνος τοῦ ποιητοῦ καὶ τὴν Ὀδύσσειαν δὲ ἐν πολλοῖς δράμασιν ἀπογράφεται. Quare non statim de imitatione cogitandum erit, quando uterque poeta suopte motu ac rerum natura adactus, eadem vel certe similia de iisdem prædicat. Quod initio Ajacis factum esse vidit Stephanus quum Sophoclem hoc versu : Ἔγνων, Ὀδυσσεῦ, καὶ πάλαι φύλαξ ἔβην, Homeri

---

[1] Aristot., Poet., c. XIII, p. 7 : Ἀρχὴ καὶ οἷον ψυχὴ ὁ μῦθος τῆς τραγῳδίας.

[2] Aristot., ibid.

[3] Athenæus, l. VII, p. 277 : Ἔχαιρε δ' ὁ Σοφοκλῆς τῷ ἐπικῷ κύκλῳ ὡς καὶ ὅλα δράματα ποιῆσαι, κατακολουθῶν τῇ ἐν τούτῳ μυθοποιΐᾳ.

locos respexisse putat, in quibus ipsa dea Ulyssi παρίστασθαι eumque custodire (φυλάσσειν) dicitur. Ibidemque quod legitur, πάντα γὰρ τά τ' οὖν πάρος...σῇ κυβερνῶμαι χερί ei manifesto ex istis homericis (Iliad. K' v. 278-280 [1]) fluxisse videtur, ubi rem eamdem idem Ulysses de eadem dea testatur, de ejus videlicet erga ipsum studio :

.... ἧτε μοι αἰεὶ
ἐν πάντεσσι πόνοισι Παρίστασαι, οὐδέ σε λήθω
κινύμενος, etc.

In eadem fabula quum infra Ajacem pro filio suo vota facere videmus (ὦ παῖ, γένοιο πατρὸς εὐτυχέστερος, τὰ δ' ἄλλ' ὅμοιος), ac Tecmessam precibus maritum, ne sibi mortem consciscerei, exorare (inde a versu 505, præsertim v. 509 sqq.),

Ἐμοὶ γὰρ οὐκέτ' ἐστιν εἰς ὅτι βλέπω
πλὴν σοῦ, etc.,

cui nostrum, inquam, non subibit memória et Hectoris a diis pro filio preçantis :

Ζεῦ, ἄλλοι τε θεοί, δότε δὴ καὶ τόνδε γενέσθαι
παῖδ' ἐμόν, ὡς καὶ ἐγώ περ, ἀριπρεπέα Τρώεσσιν, etc.,

et Andromachæ Hectorem ad pugnam proficiscentem alloquentis? (Il. Z', v. 414.) Possis etiam et alia adjicere, et illa maxime, quæ in Neoptolemi et Philoctetæ confabulatione, Thersitæ mentione oborta, hic de loquacissimo et impudentissimo homine dicit. . .

---

[1] Eustath., p. 205, 26 (155, 41).

APPENDIX.

DE ORDINE, QUO SOPHOCLIS QUÆ SUPERSTITES SUNT, FABULÆ SCRIPTÆ FUERINT, CONJECTURÆ, PRÆSERTIM DICTIONIS RATIONE HABITA.

Ex septem, quæ supersunt, fabulis de duarum, Antigonæ et Philoctetæ dumtaxat, quo actæ sint, tempore liquet. Eæ velut extremos tragœdiæ Sophocleæ gradus indicant. Commissa est enim omnium, quas habemus, prima Antigone anno a. Chr. n. 440 (Ol. LXXXIV, 4), qua tantopere exsplenduit poetæ ars, ut cum novem collegis prætor adversus Samios crearetur. Ut tali muneri poetam præficerent, hoc aliquid apud cives momenti habuisse videtur, quod sæpius in hac fabula imperantis officia optime se nosse ostendit. Eminet Antigone Æschylea quadam orationis elatione et altitudine, nec abest illa, quam in antiquiore tragœdia notarunt critici veteres, obscuritas, ac statim ab initio molesta structuræ implicatio. Ultimam earum, quæ exstant, fabularum et scripsisse et edidisse videtur Philoctetam a. ante Chr. n. 409 (Ol. XCII, 3), tertio, antequam ipse diem obiret, anno (Ol. XCIII, 2, a. ante Chr. n. 406); in qua quamvis plurima præclara sint et eximia, tamen melicarum partium exiguitas, et verbosum subinde orationis flumen et neglecti hic illic numeri jam vergentis tragœdiæ vestigia produnt. Ceteræ tragœdiæ omnes fere in belli Peloponnesiaci tempora incidisse videntur, cujus rei causæ nobis afferendæ sunt duæ. Quum initio Euripides et Sophocles trinis vel etiam quaternis annis novas fabulas ederent, exorto, quod commemoravimus, bello, quum penes populum, qui incredibiliter tragœdiis delectabatur, esset imperium, binis annis tetralogias docere cœperunt[1]. Nam quum

[1] Müller, *Griech. Literaturgeschichte*, II, 114, 115.

Sophocles primum in scenam prodierit a. ante Chr. n. 468 (Ol. LXXVII, 4) ac mortuus sit Ol. XCIII, 2; Antigone vero, quæ commissa est 440, tricesimam secundam ejus fabulam fuisse vetus dedascalia nos doceat, si sincerus est 113 fabularum, quæ ei tribuuntur, numerus, 81, vel dramatis satyricis de summa deductis, 58 fabulæ restant inde ab anno ante Chr. n. 440, usque ad 406 compositæ; unde plurimas quæ adhuc exstant Sophoclis et Euripidis tragœdias intra belli Peloponnesiaci tempora compositas esse credibile fit. Scilicet quum illa ætas uberrimum poetarum ineptorum fœtum funderet, quorum quamvis absurdæ opellæ non displicebant isti haud delicatissimi fastidii plebi, etiam meliores poetæ ne a scena prorsus submoverentur, et a pristina diligentia se relaxabant, et fabularum personnas ad rem præsentem referendo et accommodando, gloriam, opes, res gestas Atheniensium extollendo auram popularem captabant. Quod noster pro ea, qua insignis est excellentia, et minus sæpe et tecte et certe multo Euripide cautius fecit. Fecit tamen, quotiescunque ad hanc rem ei commodum erat argumentum, ita ut, modo dictionis simul rationem habeas, ætatem, qua conscriptæ sunt fabulæ, elicere possis. Hæc quidem altera causa est, cur præter Antigonen omnes ejus fabulas post exortum cum Peloponnesiis bellum doctas esse existimem. Nec omnino vitio verterim summo poetæ, quod republica in extremo periculi discrimine versante, civium animos et heroum, qui urbem tuerentur, memoria, veterisque gloriæ revocata imagine erigere et reficere, vel æumnarum iis quas nunc paterentur similium mentione injecta, consolari voluit.

Quod quidem in OEdipo Rege factum esse videmus, quum fabulæ statim exordio pestis, qua belli initio Athenæ sunt devastatæ, vividissimis depingitur coloribus. Accedit, quod in ea fabula pariter atque in Euri-

pidis Medea ad exemplum Calliæ Tragœdiæ Grammaticæ composita[1], primæ, si Athenæo fidem adjicere licet, elisiones vocalium in senariorum fine admissæ sunt. Hujus elisionis in OEdipo quinque habentur exempla (v. 19, 332, 785, 1184, 1224). At commissa est Euripidis Medea Ol. LXXXVII, 1 (431), archonte Pythodoro, unde efficitur, OEdipum Regem non multo post agi potuisse. Tum ad dictionis virtutem animadvertendum erit lectis et illustribus verbis insignitæ, magnamque grandiloquentiæ, quæ in Antigone elucebat, partem retinentis.

Sequitur Electra, et quod dicendi genus præbet facilius, ac præter aliquos locos verborum contortione haud impeditum[2], et unum suppeditat elisionis in fine senarii exemplum v. 1013:

> Ἀπροσδόκητον οὐδὲν εἴρηκας· καλῶς δ'
> ᾔδη σ' ἀποῤῥίψουσαν ἀπηγγελλόμην.

Quæ res in causa fuit, cur Bœckhius[3] hanc fabulam OEdipo posteriorem esse putaverit. Graviorem ego mihi causam invenisse videor in illa popularis gratiæ captatione, cujus in Electra prima deprehenduntur indicia, positam. Nam et Athenas, arrepta cupidius occasione, a diis exstructas nuncupat, et Atheniensi, qui unus fuerat ex decem certaminis equestris competitoribus, egregiam tribuit aurigandi peritiam (v. 727, γνοὺς δ' οὐξ Ἀθηνῶν δεινὸς ἡνιοστρόφος) eumdemque tristi Orestis exitu victorem abiisse tecte significat.

Per idem tempus OEdipi Colonei fabulæ speciem Sophocles mente concepisse ac quasi primas ejus lineas videtur duxisse. Quanquam enim luculenta veterum

---

[1] Athenæus, l. X, p. 453.
[2] Bernhardy, *Geschichte der griech. Poesie*, p. 805.
[3] De tragœdiæ gr. principibus, p. 138.

testimonia, a Sophocle nepote demum in scenam esse inductam obtinent, Olympiade XCIV, 3 (401), eam magnam in partem non tam senili quam matura poetæ ætate compositam, ac vivo adhuc Sophocle actam esse inter viros doctos convenit. Hermannus propter numerorum integritatem fabulam post LXXXIX Olympiadem scribi potuisse negat. Idem mira ubique sententiarum et dictionis vi et gravitate pro loci cujusque natura personarumque moribus nunc ad summam alacritatem concitata, nunc temperata ad eximiam mollitiem totam ait insignem esse fabulam. Hæc tamen laus jam Odofredo Mullero nimia atque præsertim ab oratione, qua OEdipus contra falsas Creontis insimulationes se defendit (inde a v. 950), eaque simillima forensi, quod tum temporis Athenis vigere cœpit, dicendi generi, aliena esse videbatur. Ac certe Sophocles, quod jam tragœdiæ longitudine declaratur, multa postea, quæ ad domestica ipsius mala, ingravescentesque belli casus afflictasque Atheniensium res spectabant, admiscuit. Unde factum est, ut Lachmannus injuria, ni fallor, OEdipum Coloneum pro fabula habuerit mere politica. Hoc vero constat, poetam curiæ, ex qua oriundus erat, monumentum exigere voluisse; de cæteris autem, quæ de belli exitu vaticinatus esse putatur, minus liquet. Nam modo Thebanos ut hostes exagitat, quare Bœckhius fabulam post Niciæ inducias compositam esse censet (Ol. LXXXIX, 3, XC, 1); modo, ut in Thesei oratione (v. 919 : Καίτοι σε Θῆβαί γ' οὐκ ἐπαίδευσαν κακόν· οὐ γὰρ φιλοῦσιν ἄνδρας ἐκδίκους τρέφειν) laudibus effert, quod permovit criticos recentiores, ut locum obelo notarent, ac Sophocli juniori tribuerent[1]. Sed ut paullo post OEdipum Regem Coloneum OEdipum do-

[1] Bernhardy, *Geschichte der griech. Poesie*, p. 811.

ctum esse autumem, maxime moveor celebratissimo illo Atheniensium judicio, quo Sophocles quum OEdipum Regem ageret, a Philocle certamine victus est. Potuerunt enim ægre ferre homines omnis antiquitatis humanissimi ac mansuetissimi, quod civem optimum, optimeque de civitate meritum, cæca quadam et sæva fati vi crudelissimis et immeritissimis casibus implicari fecerit poeta. Tum hic, suæ sibi culpæ conscius, extemplo, ni fallor, supremum OEdipi diem ac novissima fata exponere statuit, quo non semper res adversas malis facinoribus effici probaret, immo esse vitæ innocenter honesteque peractæ, expiata noxa, etiam post mortem præmia ac vindicationem. Quæ ut recte conjecerimus, nolumus tamen de aliqua fabularum inter se vinctarum trilogia cogitari posse.

De Ajace ita judicamus, ut, quod de Philocteta suspicabatur Hermannus, hanc fabulam non uno tenore, sed per intervalla a Sophocle conscriptam esse putemus. Prima ejus pars, quæ herois morte terminatur, frequentissimis metaphoris, multisque, quæ audacter sunt ac nove dicta, ad initia belli Peloponnesiaci videtur esse referenda. Sed altera quin vehementissimis in Menelaum et Agamemnonem conviciis, et colloquiis disceptationum forensium speciem exhibentibus seriorem ætatem arguat, vix potest dubitari. Nam et versus interdum minus accurate conditi sunt, velut hic (v. 1099):

Ἔξεστ' ἀνάσσειν, ὧν ὅδ' ἡγεῖτ' οἴκοθεν[1],

et locutiones quædam inveniuntur non tam antiquioribus, quam recentioribus usurpatæ, ut ὅλων pro πάντων scriptum exstat, v. 1103. Tum bene vidit Mullerus, Teucri, Agamemnonis, Menelai colloquia et

---

[1] Hermann., El. doctr. metr., p. 115.

nimis prolixa in longumque ducta esse, et æquabili magis illo pedestris orationis flumine quam poetica sublimitate insignia. Nos quidem præter alias res maxime arctiore hujus fabulæ cum rebus publicis conjunctione movemur, ut eam in alterum belli Peloponnesiaci decennium incidisse credamus, quum Athenienses, Alcibiade in exilium pulso, rebus Siculis aut jam plane accisis aut in summum discrimen adductis maximo pacis desiderio tenerentur. Belli mala, ut nusquam, deplorantur in carmine chorico (v. 1182-1220), ac versus finem Athenæ ut exoptata omnibus civibus, qui peregre caput omnibus periculis committebant, terra invocantur. Quid si ipso Ajace, quo orbati de reditu desperabant socii, Alcibiades significatur? Sed nihil pro certo affirmaverim, quamvis et Ajax tribus Ajanteæ heros eponymus fuerit, ac Salaminis ita mentio fiat (v. 595) ut Athenienses eam non solum ut Ajacis patriam, sed etiam ut oppidum victoria celeberrima illustratum recordari debeant. Tam sollerter enim res publicas fabulis suis intexit Sophocles, ut nunquam eas de industria arripuisse sed potius rei natura coactus attigisse videatur, eæque velut casu quodam sic cum totius tragœdiæ indole et quasi orbe congruant, ut raro iis ad eruendum, qua acta sit fabula, ætatem firmius niti possis.

De Trachiniis ambigitur; in quibus Mullerus juvenilis necdum corroborati ingenii vestigia invenire, rectius autem, ni fallor, Bernhardius senectutis indicia sibi deprehendisse visus est. Omnino extremam manum fabulæ non accessisse ex multis rebus conjeceris, ex frequentissimis (an histrionum?) interpolationibus, et laxa dissolutaque fabulæ, quam vocant, œconomia, quum prologo simillimum sit illud, quod Dejanira facit, exordium, et partium melicarum exiguitate, et dictione hic illic affectata et putidiore, tamque inæquali ut nunc

ad vulgaris sermonis usum recidat, nunc spinosis sese implicet sententiarum contortionibus. Nitoris fucati exempla habemus in nimia, ad quam sæpius in editione nostra digitum intendimus, annominationis consectatione: v. 198, 199 : *ἐκεῖνος οὐχ ἑκών, ἑκοῦσι δέ*, paullo infra *αὐτὸν αὐτίκα*, v. 607 : *φανερὸς ἐμφανῶς σταθείς*, v. 757 : *ἀπ' οἴκων ἵκετ' οἰκεῖος Λίχας*, v. 861 : *φανέρα ἐφάνη*, v. 1028 : *δειλαία διολοῦσ'* præcedente duplice *θρώσκει*, v. 1082 : *παῖσον, ἔνσεισον, ἐγκατάσκηψον*, quibus adjicere possis *πάρισα* quædam, v. 814 : *ξυνηγορεῖς τῷ κατηγόρῳ*, v. 1260, 1261 : *τούτων θέμενοι ξυγγνωμοσύνην, μεγάλην δὲ θεοῖς ἀγνωμοσύνην εἰδότες*, etc. Neglecti a Sophocle cothurni argumenta sunt : interrogatio negativa, cujus nullum præter hoc Trachiniarum apud tragicos poetas exemplum habetur [1], *ποίαν δόκησιν* (v. 427), locutiones quales hæ, v. 323 : *γλῶσσαν διαφέρειν*, v. 416 : *καὶ γὰρ οὐ σιγηλός εἶ*, v. 326 : *διήνεμον* (*merus ventus facta* OEchalia), structura minus accurata, v. 328, ter repetitum *γε*, v. 335-338, etc. [2]. Contortior evadit oratio, v. 331 : *μηδὲ... λύπην πρός γ' ἐμοῦ λύπης λάβοι*, v. 841, v. 662, 663, ac pæne inextricabilis, v. 912 : *καὶ τὰς ἄπαιδας ἐς τὸ λοιπὸν οὐσίας*, cf. v. 1018, 1019, etc.

Jam si quid conjecturis nostris profecimus, hic erit ordo superstitum Sophoclis fabularum : Antigone, OEdipus Rex, Electra, OEdipus Coloneus, Ajax, Trachiniæ, Philoctetes.

---

[1] Bernhardy, *Geschichte der griech. Poesie*, p. 819.

[2] Vide nostram Trachiniarum editionem, p. 94.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. VI kal. octobr., ann. MDCCCXLVII.

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,

J.-Vict. LE CLERC.

Typis mandetur.

ROUSSELLE,
Rectoris vices gerens.

E TYPIS CRAPELET
VIA DICTA DE VAUGIRARD, 9